



AD TITULUM DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS.

Dig. & Cod.

TRACTATUS.

PRÆFATIO.

AD intellectum hujus tractatus qui latissimè patet, tria præmittemus. Primò seriem & ordinem cum præcedentibus & sequentibus libris & titulis. Secundò vocum solutionis & liberationis varias significationes; ut sublata homonymia, divisio. Tertio loco facilius sit in suas species quas sigillatim enumerabimus, & describemus: quibus tribus explicatis tituli utilitas & argumentum patebit.

Ordo itaque hujus tituli altiùs repetendus est. Meminisse nempe debemus regularum Juris: *Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, L. 153. ff. de reg. Jur. Nihil tam naturale est quàm eo genere quodque dissolvere quo colligatum, L. 35. ff. eodem. Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt, nec aliter, L. 100. ff. eodem.* Unde in *L. ut quisquis ff. hoc tit. ut quodque contractum est, ita & solvi debet: cui junge L. 1. 18. 19. & ult. ff. de Acceptilat.* In *Legibus* autem supra citatis & passim toto titulo nostro, & titulo, quibus modis tollitur obligatio, institutionibus, qui huic nostro respondet: Itemque in titulis Codicis de *novat. & delegat. de solutionib. & liberationib. & de acceptilationibus*, mentio fit fere tantùm contractuum & obligationum, & de modis tantùm tollendi contractus vel quasi contractus: ex quibus duo tantùm colligimus. Primum, titulum hunc nostrum & regulas supra citatas pertinere tantùm ad contractus, obligationes, & actiones, quæ oriuntur ex contractibus vel quasi contractibus; non autem ad obligationes involuntarias, quæ ex delictis etiam privatis descendunt: quare in *Legibus* supra citatis contractus mentio passim occurrit, & tam in *ff.* quàm in *Institutionibus* antequam tractetur de privatis delictis, *ultimo lib. 3. Institutionum* tractatur de modis tollendæ obligationis, eodemque ordine in *ff.*

Secundum, meritò postquam actum fuit de contractibus & quasi contractibus sigillatim tam in dictis *Institutionibus* quàm in *ff. & Cod.* subiunguntur tituli, qui ad eos dissolvendos pertinent, Obligationum verò

latissimè sumpto vocabulo duæ sunt species, Civilium & Naturalium. Civiles latissimè intelligimus, ut etiam prætorias contineant: quæ juris vinculum continent secundùm nostræ Civitatis Jura, & necessitate astringunt; ad differentiam obligationum naturalium, quæ impropriè tantùm respectu Civilium appellantur obligationes. Continent enim tantùm æquitatis naturalis vinculum, nec astringunt necessitate, neque actionem pariunt: non sunt tamen inutiles; valent enim ad exceptionem & retentionem: quare de illis agitur in *hoc tit.* Tolluntur autem non tantùm iisdem modis, quibus civiles, sed etiam aliis pluribus, quibus civiles dissolvi non possunt *L. 95. Stichum §. Naturalis ff. hoc tit.*

Observandum maximè in *hoc tit.* sicut certi & definiti sunt Jure Civili constituendæ obligationis modi; ita etiam certi sunt ipso jure dissolvendæ. Et quidem singulis modis constituendæ obligationis singuli modi dissolvendæ specialiter opponuntur: v. g. quatuor modis contrahimus, re, verbis, literis, consensu, *Institutionib. de obligatio. L. 1. §. 1. ff. de obligatio. & actio.* Quæ contrahitur re, dissolvitur etiam re, id est præstatione naturali rei vel facti quod promissum est. Quia autem omnis obligatio in dando vel faciendo versatur, notandum per solutionem non tantùm obligationem quæ re contrahitur, dissolvi, sed etiam quæ verbis *L. prout hoc tit.* & statim initio tituli *Institutionum quib. modis tollitur obligatio: omnis obligatio tollitur solutione ejus quod debetur.* Quare Græci per solutionem dicunt omnem obligationem tolli, sive re, sive verbis, literis aut consensu contracta fuerit in verbo *καταβολή*, *Lexico Græco vocum Juris* à D. Labbæo edito.

Verborum obligatio, quæ ex contractu stipulationis descendit, perficitur per interrogationem creditoris & responsionem debitoris congruam, etiam si res nulla interveniat, nec literarum figura: quare similiter tollitur, nulla re vel scriptura interveniente, per acceptilationem, quæ ideo imaginaria solutio appellari solet, ad differentiam veræ & naturalis solutionis. Acceptilationis autem forma proponitur dicto *tit. Instit. quib. modis tollitur obligatio.* Per acceptilationem autem tollitur tantùm obligatio verborum, non reliquæ: remedio tamen stipulationis Aquilianæ, quam Gallus Aquilius Jurisconsultus composuit, transferri potest obligatio quocunque modo contracta in stipulationem; & ita præcedente Aquiliana stipulatione, & per eam extincta veteri obligatione, acceptilatio rectè subjicietur, quæ extinguit novam verborum obligationem. Aquilianæ stipulationis forma proponitur in *§. est autem prodita dicto tit. Instit. quib. modis*, &c. & in *L. 18. §. 1. & L. seq. ff. de Acceptilatione.*

Literarum obligatio, cujus mentio est omiſsa in dicta *L. prout hoc tit.* sicut & in *L. 1. ff. de Obligatio.* quia in desuetudinem abierat *Instit. de Literarum obligatio.* tolli debebat propriè per scripturam mensæ apud Argentarios, qui nomina faciebant & rationes omnium civium; eorumque fides erat publica. Sicut verò scribere dicebantur & nomina conficere, qui literis se obligabant; ita ut legitimo modo ab ejusmodi obligatione liberaretur debitor, per consequens contraria mensæ scriptura erat necessaria: & tum debitor *rescribere sive perscribere* dicebatur, Cicero *Epistola ad Atticum lib. 4. epist. ult.* unde jocus Horatii *lib. 2. satyra 3.*

Scribe decem à Nerio.

Et iterum.

Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.

Dictabat nempe verba solemnia creditor debitori futuro: rescribebat debitor qui se liberabat, & verba dictabat creditori. Quinimo sicut per stipulationem & novam verborum obligationem reliquæ omnes obligationes novari & extinguere solebant; ita & per literarum obligationem, & tam per stipulationem quàm per literas delegationes pariter fiebant: quod melius nemo explicavit Theophilo initio *tit. de Literarum obligat.* qui locus valde singularis confirmatur ex *fragmentis Gaii libri 2. Institutionum tit. de obligat. §. Literis*; & ex integrioribus *Institutionibus Gaii Theophilus desumptus videtur: cui junge L. 6. (cod. Theodosiano de denunciatione vel editione rescripti.*

Rectè autem Theophilus obligationem literarum perfici ait verbis & literis solemnibus, *ἐνύμα καὶ ἡδύματι τυπικῶ πρὸς ὄντι*, id est verbis solemnibus & scriptura solemnī directis ad ipsum debitorem, & coram ipso. *ἐνύμα* præsentium; scriptura & literæ vel inter absentes, vel inter præsentem perficiuntur. Hoc loco quando scriptura conjungitur cum verbis, & alterum sine altero non potest esse, necessarium est ut sicut verba sunt præsentium, ita & scriptura; non autem contra: nam repugnat ut absentes scribant & verba quæ proferunt exaudiant inter se, si sint longè positi. Et ita intelligendus Theophilus, quando ait *πρὸς ὄντι*, id est præsens ad præsentem, & cum præsentem & loquitur & scribit, non autem disjunctim, ut malè Gothofredus ad *L. 1. ff. de Annis legatis*: utrumque enim conjungit & verba & litteras, inter præsentem scilicet, supra citato in loco Theophilus, quem ita intelligendum esse contra quàm sensit Gothofredus, valde notandum est.

Sicut autem obligatio verborum causam & negotium præcedens requirit; alioquin per exceptionem doli irrita constitueretur, licet ipso jure valeat, id est detur actio ex stipulatu *L. 2. §. si quis ff. de doli mali & metus exceptione*: ita & literarum obligatio. Per literas autem vel per obligationem verborum novatione facta ex causa præcedente, ita nova constituitur actio, ut prior perimatur *L. 1. ff. de Novatio*. Theophilus lococitato; adeoque redditur jus ex nova: quam in rem notata dignissimus Ciceronis locus *libro 3. Officiorum*, ubi emptio proponitur transfusa & translata in obligationem literarum sive nominum, ibi: *emit hortos instructos, nomina facit, negotium conficit*. Et ita emptio, id est contractus bonæ fidei transit in contractum stricti juris, id est literarum, cui, ut ait Cicero, ante formulam de dolo à Gallo Aquilio proditam non poterat dolus objici.

Consensu verò contracta obligatio dissolvitur consensu contrario tantum, rebus tamen integris, v. g. in emptione neque pretio soluto, neque re tradita, dicta *L. prout & §. ult. Institutionibus quibus modis tollitur obligatio.*

In dicto verò *tit.* Novatio inter modos legitimis solvendæ obligationis numeratur. Est verò novatio, mutatio voluntaria & translatio prioris obligationis in posteriorem obligationem verborum; vel mutatis personis debitoris & creditoris simul, vel debitoris aut creditoris tantum, vel etiam causa

aut status obligationis. Quos modos sigillatim explicavit Cujacius in *Paratitulo Codicis de Novationibus*, verius atque apertius quàm in *paratitulo ff. eodem titulo*.

Hi autem quatuor modi ipso jure tollunt obligationem : notandum tamen novationem & acceptilationem, imò confusionem, compensationem, omnem generaliter liberationem, sive satisfactionem, latè sumpto *solutionis* verbo comprehendi, pro subjecta tamen materia ; quoties nempe volente creditore aliud fit quàm promissum : licet propriè solvere dicamus eum, qui naturaliter & re ipsa facit quod promisit *L. 176. ff. de Verb. sig. L. 49. § 2. & 54. hoc tit.* Aliis modis satisfacere propriè dicimus, non solvere *L. 4. §. 3. & 7. ff. de re judicata*, Briffonius *de Verbor. signif.* in verbo *satisfacere*. Sicut autem satisfactionis, ita & liberationis verbum in *Rubrica nostra ff. & Cod.* latissimè patet : omnes enim modos obligationis dissolvendæ sive ipso jure, sive per exceptionem comprehendit *L. 43. ff. hoc tit.* quæ plures liberationum species agnoscit, v. g. præter quatuor supra numeratas, rem judicatam & confusionem, quoties in unam personam debitoris & creditoris jura concurrunt ; compensationem, id est debiti & crediti inter se contributionem, quando debitor suum creditorem eundemque debitorem summovet *L. 1. 2. & 3. ff. de compens.* delegationem quæ mandato nempe interveniente inchoatur, & perficitur per stipulationem novandi gratiâ interpositam, v. g. mando debitori meo volenti, vel etiam amico, qui non est debitor, ut pro me expromittat. Per hujusmodi delegationem mandatum constituitur ; impletur verò & executioni traditur mandatum per novationem, id est stipulationem, quâ pro me delegante creditori meo debitor meus vel amicus promittit & obligatur : qua ratione prior obligatio dissolvitur ipso jure. Obsignatione & depositione pecuniæ rectè facta, liberatio contingit : itemque pacti exceptione, vel de dolo, & aliis plurimis exceptionum causis, quibus supra speciales Tituli assignati sunt.

Observanda vero illa imprimis divisio generalis inter modos tollendæ obligationis, vel ipso jure vel per exceptionem. Quatuor legitimos modos tollendi ipso jure supra explicavimus, qui continentur *Institutionum tit. quib. mod. tollitur oblig.* Ipsum jus autem non ita accipiendum est in hac divisione, sicut aliquando in jure accipitur, nempe ut significet jus commune & reliquas partes juris scripti vel non scripti, exceptis constitutionibus : ipsum enim jus sæpissimè Jurisconsulti opponunt constitutionibus, Cujac. *lib. 7. Observat. cap. 19.* Exceptiones autem ex constitutionibus substantiam capiunt perinde ac ex reliquis partibus juris. *§. Alioquin Instit. de exceptionib.* Ipso itaque jure hoc loco intellige ad differentiam liberationis, quæ fit per exceptionem. Inter utramque autem liberationem multæ sunt differentiæ : liberatio quæ fit ipso jure evacuat vires obligationis, extinguit & perimit omnino ; nec tantum cessat obligatio, sed extinguitur omnino, adeo ut ejus vires nunquam reparari possint *L. 98. qui res §. Aream ff. hoc tit. L. 4. & 5. Cod. de solutionibus*, nec ulla actio competat : imò & ipso jure obligatione pro parte sublata, si deinde creditor solidum petat, incidat in periculum plus petitionis, & causâ cadat, *L. 4. & 21. ff. de compensationib.* Quoties verò liberatio per exceptionem contingit, actio quidem est efficax & rectè instituitur

absque periculo plus petitionis, sed per exceptionem in Jure à reo propositam est excludenda : imò & per replicationem resolvi potest jus exceptionis ; adeo ut pristina actio remaneat integra *L. 1. ff. de exceptionibus, & Instit. de exceptio. & replicationibus.*

Exceptiones præterea sicut & actiones impetrandæ erant à Magistratibus Urbanis vel Provincialibus, v. g. Prætoribus in urbe, Præsidiis vel Proconsulibus in provinciis : & actionis formulæ præcedenti subjiciebantur exceptiones. In Jure, id est coram Magistratu vocatus ab actore reus sistere se tenebatur : præsens actor intentionem & jus suum proponebat ; reus contra si quas habebat allegationes & jura allegabat similiter. Ex utriusque actoris & rei allegationibus componebatur à Prætoribus actionis formula, cui subjiciebatur formula exceptionis : v. g. ponamus agi ex mutuo Titius actor intendit : *Aio te Semproni mihi decem dare debere ex mutuo.* Ponamus Sempronium esse filium famil. & allegare exceptionem Senatus-consulti Macedoniani : replicabit fortè creditor in eos usus se pecuniam erogasse, quos pietas paterna non denegaret. Ex omnibus illis allegationibus ita Prætor formulam componebat : *Si paret Titium centum mutua dedisse Sempronio, condemna eum Judex, nisi filiumfamilias esse appareat, vel nisi pareat in necessarios usus creditam pecuniam.* Hæc formula duabus præcipuis partibus constat : prima in conceptione sive comprehensione actionis, exceptionis & replicationis : secunda in datione Judicis consistit, apud quem probatio fieri debebat. Quare exceptio appellatur sæpe conditio *L. 22. ff. de exceptionibus*, Cujacius paratulo *Codicis eodem* : quo sensu actio simplex & judicium purum, ad differentiam conditionalis à Victorino appellatur, cui scilicet nulla exceptio est opposita ab initio : id est in constitutione judicii, in accipiendo judicio & contestatione litis, (hæc enim tria idem significant) licet unius & ejusdem rei, id est actionis, impetrationis varias solemnitates denotent, *accipi judicium, & constitui, & litem contestari.* Constat autem ex his quæ diximus, formam futuri judicii in Jure apud Magistratus constitui, eamque præscribi Judici dato ; cui addicitur, & à qua recedere non potest.

Dicitur verò contestatio litis, quia tam actor, quàm reus adhibere testes solebant hic verbis solemnibus : *Vos testes estote*, Festus in verbo *testari*, Tullius 2. de *Inventione* : *In jure*, inquit, id est apud Prætorem, & exceptiones postulantur, & quodammodo potestas agendi datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur. Victorinus doctissimè ad illum locum : *Prætores, qui jus dicebant, & Judices causa dabant, & controversia vel agendi genus instituta actione firmabant.* Et paulò post : *Apud ipsum verò Prætorem, cum litis ipsius forma componeretur, illic partes aut excipiebant aliquid, aut simplicem actionem accipiebant.* Quare in ipso, ut diximus, jure apud Prætorem, quando de modo agendi quærebatur, tractabatur exceptio, & replicatio : quæ si in impetratione actionis coram Magistratu omissa fuisset à reo, non poterat amplius eam supplere Judex datus, in judiciis scilicet strictis ; sed opus erat novo Prætoris decreto. Aliud in judiciis bonæ fidei, quibus exceptiones ipso jure inesse dicuntur, id est licet apud Prætorem vel Magistratum propositæ non fuerint, nec ab eo impetratæ in accipiendo & constituendo judicio (*en obtenant la commission :*) officio tamen Judicis dati supplebuntur, pro-

per illam clausulam generalem, quæ judiciis & actionibus bonæ fidei subjici solebat à Prætore, qui dabat Judicem cum potestate, additâ nominatim solemnî formulâ : *Ex bona fide condemna eum Judex*, Tullius 3. *Offic. loco cit.*

Quatuor autem modis legitimis supra explicatis, quibus ipso jure tolluntur obligationes, plures alios addit Brissonius, confusionem, obsignationem, interitum rei ante moram, compensationem, exemptionem à commercio, pignoris venditionem, quoties tantum ex pignoris venditione creditor receperit, quantum debetur *L. 26. ff. hoc tit.* Per exceptionem verò, v. g. ex pacto de non petendo, exceptiones doli, rei judicatæ, temporis, si nempe ad tempus constituta fuerit obligatio, legatum liberationis, ubi duæ lucrativæ causæ in unam & eandem rem & personam concurrunt, & generaliter omnes exceptiones, quæ ex plurimis causis vel ex jure ipso vel ex Prætoria Jurisdictione substantiam capiunt.

Postremò notandum quamvis dixerimus per acceptilationem tantum tolli ipso jure obligationes, quæ verbis contrahuntur, non etiam ceteras §. *item per acceptilationem Instit. quib. modis*: nihilominus tamen reliquis obligationibus appositâ acceptilatio, licet sui naturâ sit inutilis, nec ipso jure eas tollit; habet tamen vim pacti de non petendo, & ex hujusmodi inutili acceptilatione exceptio pacti nascitur: quod intelligendum indistinctè sive in materia sive in forma: v. g. si diem, vel tempus, vel conditionem habeat acceptilatio (est enim actus legitimus, qui non recipit diem vel conditionem;) non ipso jure, sed per exceptionem debitor defendetur, ut rectè D. Cujacius contra Glossam ad *L. si unus §. penult. ff. de Pactis*. Nam inutilis acceptilatio saltem habet consensum, animum liberandi indicat, & præsumitur habere, nisi contrarium probet creditor, qui accepto tulit, *L. 8. ff. de Acceptilatione*, *L. Cum emptor ff. de Rescindenda vendit. L. Si acceptolatum & L. ultima ff. de Acceptilatione*. Notandum verò summè in §. 1. d. *L. si acceptolatum* distingui acceptilationem ab apocha. Acceptilatio est imaginaria solutio; acceptum fertur, quod revera non est solutum (*l'on tient pour recen ce qui n'a pas esté donné* :) Apocha verò ita concipitur: *profiteor te solvisse pecuniam*; unde & confessio solutæ pecuniæ appellatur in *L. 14. C. hoc tit.*

Quare mirum non est si acceptilationi non possit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ; hoc enim non agitur in acceptilatione: possit verò opponi apochæ, quia mentionem facit numeratæ pecuniæ. Quæ differentia ex re ipsa potiùs accipitur quàm à nomine: nam quæ Latinis dicitur acceptilatio, Græcis Jurisconsultis ἀποχὴ etiam appellatur. Recentiores tamen Græci professionem solutæ pecuniæ ἀπόδοσις vocant, quæ & securitas in libris nostris; Cujacius libro 5. *Observationum cap. 36. in fine*, & omnino libro 18. *cap. 2.* & in *Postumis Codicis de Solutionibus*, Brissonius in libris *de Verb. signif.* in dictione, *acceptilatio & apocha*, ubi integriùs illarum dictionum interpretationem refert ex *Græcis Lexicis verborum juris*, quàm in editis doctissimi Labbæi. Appellatur etiam *Apocha Recauta*; quia sicut per chirographum cavet debitor creditori, ita per apocham in solutione faciendâ recavet debitori creditori, data

cautione de suscepta pecunia. Hoc amplius ipse debitor in solutione per antapocham cavet creditori, cujus formam & usum D. Cujacius explicat *Paratit. Cod. de fide instrumentorum*, & in *Posthumis ejusdem tit. ad L. Contractus Cod. de fide instrumentorum*.

AD LEGEM I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. XXIV. LXXIII.
LXXVII. LXXXIX. XCVI. §. penult. & ult. XCVII. CI.
§. 1. CII. §. 1. & 2. & CIII. Dig. & ad L. I. Cod. hoc tit.

IN iis omnibus Legibus variæ quæstiones proponuntur & deciduntur, quæ manant ex eodem fonte. Quando nempe debitor, qui ex pluribus causis, id est contractibus vel quasi ex contractibus obligatus est, solverit, cui contractui, vel quasi solutio sic imputanda. Tres regulas, sive definitiones Jurisconsulti in hac materia potissimum constituunt: regulas autem & definitiones conjunximus, quia eundem fere usum præstant; nempe substantiam rei & naturam declarant: λόγον εἰσίας, ἢ ἔτι: & sicut ex definitionibus regulæ facile possunt elici; ita vice mutua præsent regulæ ad definitiones componendas. Quare mirum non est, si in *tit. de Reg. Jur.* quædam definitiones referantur, peritè & ex arte: nam & Mutius Scævola, Papinianus, & reliqui Jurisconsulti, qui de definitionibus scripserunt, conjunctim plurimas regulas inseruerunt; ut tandem agnovit D. Cujacius initio *librorum Papiniani de definitionib.*, aliter quàm in *Paratitulo de Reg. Jur.* & in *Postumis ad eundem tit.* Exemplum habemus in *L. 97. hoc tit.* quæ sumpta est ex *libro 2. Definitionum Papiniani*, in qua nulla definitio ex professo, sed regulæ quædam proponuntur, quas deinde explicabimus.

In hac materia nostra prima illa regula occurrit, *in arbitrio esse solventis designare & constituere in re præsent quod potius debitum, solutum velit.* In *re præsent*, id est in ipsa solutione: quod tamen ita accipiendum est, ut vel statim ante solutionem, vel statim atque solutum est, scilicet in continenti dum res adhuc agi intelligitur, debeat constituere: nulla mora scilicet interveniente debet designare & demonstrare debitor, propter quod debitum solutionem faciat. Et ita intelligenda est dictio illa, *postea* in *L. 21. Si usuras Cod. de Usuris*, ex ipsis verbis *l. 1. in fine hoc Tit.* *Ceterum postea non permittitur statuere*, ait *L. 3. hoc tit.*

Ad L. 1. 2.
3. 4. 6. 7.
8. 96. § ult.
97. & 103.
Dig.

Postea, hoc loco accipiendum est, mora aliqua interveniente, & ex modico intervallo statim post peractum negotium, & solutionem. Ita Tutor in ipso negotio debet auctoritatem interponere, id est vel ante, vel statim atque peractum est, nullo alieno actu interveniente, eodem tenore: longo intervallo, vel post multum tempus interposita auctoritas non valet §. *Tutor Inst. de auct. tutor.* & ibi Cujacius in *Poster. & lib. 13. Observ. c. 31.* Ambigua nempe sunt ea verba in Jure, *statim, cum primum, ante, & post*: & pro subjecta materia aliquando non admittunt moram vel cunctationem, aliquando admittunt. Itaque in ambiguo ex jure certo & ex aliis locis Juris apertioribus petenda est interpretatio, ut docuimus *hoc tit.*

Ratio hujus regulæ redditur in *L. 1.* quæ ita est explicanda: sicut in rei nostræ traditione, prædii v. g. vel domus quamlibet legem vel pactum in continenti apponere licet, imò & imponere servitutem, quia scilicet

eo momento quo res nostra ad alium transit, adhuc nostra est: ita etiam in umeratione pecuniæ, quæ eo momento, quo in creditorem transfertur, adhuc debitoris est, quælibet conditio imponi potest; vel etiam in continenti, ut diximus, & restè observavit Glossa in *L. 1. Cod. hoc tit.* ex intervallo longo non potest, quia postquam res, domus, fundus, vel pecunia tradita est, aliena fit; & per consequens nullam in ea re potestatem habemus *L. 48. ff. de Pactis L. 34. & 35. ff. de Servitutib. urban. præd. L. 29. & 30. ff. de servitutib. rustic. prædior.*

Secunda regula: *Si debitor in solvendo non commemoret, in quam causam solvat, convertitur electio in creditorem accipientem, cujus est in arbitrio, cui debito potius acceptum ferat: debet tamen statuere in ipsa re, id est in solutione, vel in continenti; ex intervallo non permittitur statuere, dicta L. 2. & 3.* Ita tamen Jurisconsulti hanc potestatem creditoris restringunt, ut teneatur creditor imputare solutionem in debitum quod si ipse deberet, solutum vellet. Quam interpretationem ex æquitate contra subtilitatem verborum Jurisconsultos induxisse rectissimè Ulpianus ait in *L. 1* hac ratione reddita: eo animo ad res alienas gerendas accedere debemus, quo ad nostras. In prima verò & secunda regula notandum, alterutrius, creditoris vel debitoris electionem non nocere, si ambobus non placeat *L. 2. hoc tit.*

Tertia: *Quod si nec debitor nec creditor demonstraverint, in quam causam solutum sit; in duriorē & graviorē imputabitur.* Cujus regulæ eadem fere ratio est quæ superioris; quia verisimile est diligentem debitorem ita negotium suum fuisse gesturum *L. 97. ff. hoc tit.* quod ex æquitate & in gratiam liberationis receptum est: prioniores enim esse debemus ad liberandum *L. Adrianus ff. de Obligatio. & Leg. 125. ff. de reg. jur.* Durior autem causa ea est quæ magis onerat debitorem, & quem liberari interest magis: quod explicatur in *L. 4. 6. 7. 8. 24. 73. 97. 103. & passim hoc tit.* Hic verò ordo constituitur. Prima & durior, si ex causa famosa debeatur, id est ex qua damnatus infamia notatur, v. g. furti, vi bonorum raptorum, directæ actionis tutelæ, mandati, depositi. Directas diximus: nam contrariæ non infamant; quia in contrariis ratio tantùm calculi & impensarum vertitur. Secunda causa judicati, nempe quia res judicata finis est litis. Tertia si quid debeatur sub pœna *L. 4. & 7. ff. hoc tit.* Quarta si quid sub pignore vel satisfato, id est vel fidejussoribus datis, vel pignore, vel utroque. Quinta sub Usuris. Sexta quod quis debet suo nomine, & de quo controversia non est: nos enim gravius onerat quàm vel debitum controversum, vel quod quis fidejussoris nomine debet alterius causâ, *L. 1. 4. & 97.* Et quidem in *L. 1.* Contius & Cujacius transponunt rectè negationem, creditorem debere imputare non in id debitum, quod est in controversia, id est non rectè faciet creditor, si quod solvitur, acceptum ferat in debitum non liquidum, aut in illud pro quo fidejusserat. Vide Cujacium *lib. 5. Observat. cap. 34.* & ad Papinianum in *L. 97. hoc tit.* ubi interpretationem suam autoritate *Basilicon* confirmat; licet locus in *Synopsi* sit corruptus *pag. 80.* Minus etiam onerat debitum in diem, cujus dies nondum venit, vel sub conditione quæ nondum extitit, quàm debitum purum, id est sine die & conditione. Quod si omnia debita similia fuerint, in antiquius debitum imputabitur *L. 3. 5. & 24. hoc*

tit. quod si par dierum & contractuum causa sit, ex omnibus summis pro portione solutum videbitur, id est imputabitur omnibus summis pro portione & modo pecuniæ cujusque contractus, pro rata & analogicè *L. 8. §. 96. pupilli §. ult. ff. de Solutionibus.*

Quia verò rarò credere solemus & contrahere, nisi acceptis mandatoribus, fidejussoribus, pignoribus, vel hypothecis, & sæpius sub usuris; tam in Legibus sæpe citatis, quàm in *toto tit.* imò & initio *hujus libri* de mandatoribus & fidejussoribus, & reliquis quæ diximus, sæpissimè tractatur: quæ ne remorentur nos in progressu, de singulis breviter admonendi estis; 1º. fidejussores accedere alienæ obligationi, quare & adpromissores dicuntur, & plures accipi posse, nec tantum in principali contractu perficiendo, sed etiam antea; ita tamen ut fidejussor eo casu non prius obligetur effectu, quàm principalis contractus perfectus fuerit. Attendimus enim non ordinem temporis, vel scripturæ, sed juris: nam ex Jure fidejussio est sequela & accessio principalis obligationis: itemque post principalem contractum interjecto tempore potest accipi. Per stipulationem autem sive verborum obligationem fidejussor accipitur, & omnibus contractibus & obligationibus quoquo modo contractis, etiam naturalibus potest accedere: nunquam tamen in duriorè causam quàm reus principalis obligatur, in leviorè potest. Sicut autem fidejussores sequuntur principalem contractum; ita & mandatores præcedunt contractum principalem: mandant enim vel alii pecuniam credi, vel cum eo contrahi. Sub eodem tamen *tit.* conjunguntur, quia intervenire solent quò facilius alteri fides habeatur; quamvis aliquando non tantum rei principalis, sed etiam mandatoris gratia, propter commune negotium mandatum soleat contrahi.

Pignus verò contrahitur tam in gratiam debitoris quàm creditoris; debitoris, ut ei facilius credatur: creditoris, quò magis sit in tuto debitum. Constituitur autem re, id est rei traditione corporali, mobilis scilicet, vel quasi traditione rei incorporalis, v. g. inductione in possessionem vel cessione nominis; quomodo contractus perficitur re: quod Jure Civili comprobatum est *tit. quibus modis re contrah. oblig.* Ex eo contractu nascitur actio civilis pigneratitia, directa personalis, & contraria. Directa datur debitori post solutum debitum, ad pignus repetendum: & contraria creditori adversus debitorem, si quos sumptus circa rem pigneratam fecerit. Hypotheca autem consensu nudo perficitur, & est nudum pactum; quare non parit actionem civilem: jure tamen prætorio, utilitate suadente, hypothecaria in rem creditori datur, cui simpliciter nuda conventionè absque ulla traditione vel quasi traditione res mobilis sive immobilis obligata est. Hypothecariæ actionis hic est effectus, ut deficiente in solvendo debitore tam adversus debitorem quàm alium quemlibet possessorem, persecutionem rerum obligatarum creditor intituat actione in rem prætoria *§. Serviana Instit. de Actionibus.*

Notandum tamen est etiam propter pignus, quod traditione vel quasi constitui diximus, hypothecariam actionem prætoriam in rem dari, si fortè creditor possessionem amiserit, & dari tam adversus debitorem quàm quemlibet alium possessorem. In hoc verò *tit.* passim, maximè verò in *Legibus* quas conjunximus, tractatur non tantum de variis modis liberandi rei principalis, fidejussoris, sive adpromissoris, mandatoris, sed etiam de

lutione pignoris & liberatione vel hypothecarum vel usurarum, quæ conjunguntur in *L. 48. ff. hoc tit.*

Usuræ verò propriè Jure Civili tantùm percipiuntur, non autem naturâ: pecunia enim naturaliter pecuniam non parit. Usuræ autem civiliter constituuntur per stipulationem: & hæc dicuntur in *L. 5. hoc tit.* Usuræ debitæ, quas nempe debitor exsolvere cogitur: aliæ usuræ dicuntur indebitæ Jure Civili scilicet; naturaliter tamen debentur, v. g. quæ nudo tantùm pacto constitutæ sunt. Ex his retentio permittitur tantùm, nec compelli potest debitor ad eas solvendas *L. 5. & L. 101. §. 1. ff. de Solutionibus & liberationibus.* Pignora non tantùm propter sortem, sed etiam propter usurastam civiles quàm naturales obligantur. Necessaria est autem specialis obligatio in singulis causis *L. solutum 11. §. si in sortem ff. de Pigner. Act. L. 4. 21. & 22. Cod. de Usuris, L. 5. & 14. ff. de Pignoribus*: ex quibus etiam constat sicut fidejussores diximus, ita pignus vel hypothecam non tantùm propter civilem, sed etiam naturalem obligationem accipi posse. Quod intelligendum de usuris, quæ promissæ non sunt supra modum legitimum & licitum: illicitarum enim usurarum nomine nec actio nec exceptio competit, *Legibus supra citatis.*

Notandum præterea regulariter si nec à debitor in solutione faciendâ, nec à creditore expressum fuerit nominatim, utrum solutio in sortem vel in usuras cederet; prius in usuras, deinde quod superest in sortem imputandum: usurarum enim causa gravior est debitori, ad quam solvendam priùs potest compelli; ad sortem autem, quamdiu usuras solvit, nisi aliud convenierit, non potest: & saltem antiquior est causa exactionis usurarum. Et ex hoc jure constituto & certo, ad quod pertinet *L. 1. Cod. de Solutionibus*, respondet Jurisconsultus in *§. ult. L. 5. & in L. 6. si creditor apocham, sive cautionem ita concipiat: accipi centum in sortem & usuras*, ordinem potiùs Juris inspici debere quàm scripturæ: & ita non imputabitur solutio primo in sortem, vel conjunctim in sortem & usuras, quod ordo scriptura suadere videbatur: sed secundùm jus priùs in usuras, deinde quod superest in sortem acceptum feret, sive ex uno, sive ex pluribus contractibus debeatur; dummodotamen usuræ civiliter debeantur, id est ex stipulatione: nam si ex pacto tantùm, nec nominatim expresserit debitor in solvendo se solvere usuras, quas ex pacto debet; creditor non poterit in eas imputare, & hoc est quod dicitur in *§. penult. d. L. 5. (proprio titulo non numerata)* id est debitor in solvendo non exprimente specialiter titulum pacti, soluta pecunia in sortem cedit. Et hæc habent locum quando debitor ultro solvit: aliud si cessante debitor in solutione, pignora quæ obligata sunt, distrahantur: tunc enim licet creditori, cui debetur ex pluribus contractibus, acceptum ferre, in quam summam velit; imò si natura debeatur, poterit in naturale debitum imputare, & persequi quod sibi ex causa civili debetur *L. Paulus respondit 101. §. 1. & L. 73. quod & attingitur in L. 5. §. 2. ubi de pecunia redacta ex pignoris conventionalis venditione tractatur.*

Exceptiones regulæ proponuntur tres. Prima quæ in *dicto §.* ex ordine juris descendit, nempe creditorem, cui in sortem & usuras pignus obligatum est, teneri priùs in usuras pretium distracti pignoris imputare, quàm in sortem, sive ex uno sive ex duobus contractibus debeantur

*Ad L. 1. C.
& ad L. 5.
& 101. §.
1. Dig.*

usuræ. Ponamus ut in §. 2. dictæ L. 5. ex duobus contractibus diversis temporibus initis uni & eidem creditori usuras debitas, civiliter ex stipulatione & naturaliter ex pacto: non licebit creditori pretium venditi pignoris prius imputare in sortem, vel in usuras naturaliter debitas tantum, non autem civiles tantum; sed æqualiter imputabit, non quidem in sortem, sed tam in usuras civiles, quàm naturales ex æquo. V. g. ponamus pretium pignorum fuisse decem, usurarum civilium viginti, & naturalium pariter viginti; quinque singulis summis imputabuntur. Ponamus esse dispares summas usurarum, v. g. civilium viginti, naturalium decem, pignorum verò decem: æqualis etiam fiet distributio arithmeticè & numero, v. g. quinque singulis summis; non autem pro rata summarum qua debentur, non pro portione & analogicè. Notandum autem in d. §. L. 5. diversis temporibus pignus fuisse constitutum, generaliter tamen & æqualiter propter utrumque contractum, v. g. sub hac forma: *Fundus Sempronianus obligatus esto, ex alio nimirum contractu, alio tempore inito cum uno & eodem creditore & debitore.* Aliud est enim si inæqualis fuerit constitutio pignoris, ut deinde dicemus in explicatione §. penult. L. 96. ibi: *quod si temporibus discretis.*

Secunda exceptio quando expressè aliquid convenit in constituendo pignore, lex contractus servanda est: v. g. ponamus Titium ex duabus causis teneri Sempronio: decem ex legato, & decem ex stipulatione debere; duobus verò diversis temporibus in utramque causam eandem rem pignori obligasse sub hac forma: *In summam debitam ex legato fundum in solidum; in summam verò ex stipulatione superfluum pignoris, ut oxlw nominatim, id est la plus valüe.* Si postea pignus distrahat creditor, secundum legem pignoris tenebitur pretium 1º. in legati solutionem, & si quid deinde superfit ex pretio, imputare in stipulationem: quæ est species secundæ partis §. penult. L. 96. hoc tit. Ibi: *quod si temporibus discretis; cui & addenda fere similis species in L. 20. querebatur ff. qui potiores.* Rationem differentiæ inter §. 1. dicta L. 5. hoc tit. & hunc locum oritur ex inæquali constitutione pignoris & diversa conceptione verborum, ut tandem agnovit D. Cujacius ad d. §. penult. d. L. 96. apud Papinianum, & ad responsa Pauli ad L. Paulus respondit 101. §. 1. hoc tit.

Ad § penult.
L. 96. Dig.

Tertia exceptio proponitur initio dicti §. penult. L. 96. quando ex duabus præcedentibus causis & contractibus diversis temporibus celebratis, pignus tamen uno & eodem tempore fuerit obligatum eidem creditori; tunc non habebit facultatem creditor eligendi, in quam summam imputet pretium pignorum; quia, ut ait Papinianus, præsumitur tacitè pignora subjecisse consortioni, id est communiter & in eandem causam exæqualle.

Itaque pro rata & analogicè fiet distributio, id est pro modo & summa debita ex singulis contractibus: quæ distributio etiam fit, quoties nihil nominatim in solutione sive voluntaria, sive necessaria, id est in distractione pignorum exprimitur; & par est causa dierum & contractuum: tunc enim pro portione debiti fiet distributio, & de omnibus summis solutum videbitur, id est pro modo summarum debitarum, non autem æqualiter solutio distribuetur; vicissim minor minori imputabitur comparatione facta summarum debitarum, non autem æqualiter & numero distribuetur solutio. Quam sententiam tandem, ut diximus, comprobavit Cujacius, mutatâ sententia,

tiâ, quam secutus erat *lib. 11. Observat. cap. 33.* in quo constituerat differentiam inter pignus conventionale, de quo putabat agi in *dicta L. 96. pupilli §. penult.* & inter pignus prætorium, quod constituitur bonis ex Edicto possessis & venditis, vel etiam captis extra ordinem pignoribus in causam judicati plures summas continentem, de quibus agi putabat in *dicto §. L. 5. hoc tit.* Nam indistinctè in *dicto §. & L. Paulus respondit 101. §. 1. hoc tit.* de pignoris cujuscumque distractione tractatur.

Ex quibus colligimus præcipuas exceptiones regulæ quæ dicit, *Tacente debitore in solutione faciendâ, creditoris cui ex pluribus causis debetur, arbitrio permitti in quam causam velit imputare solutionem.* Itemque explicavimus differentiam inter solutionem voluntariam & necessariam, quæ nempe contingit deficiente debitore in solutione ex distractione pignorum; nam ex necessaria creditor, cui civiliter & naturaliter debetur, potest in naturale debitum referre pretium pignorum, vel generaliter etiam in id quod velit, & in leviolem causam acceptum ferre *L. 73. hoc tit.* in cujus specie creditor imputat pretium pignorum in eam summæ partem, quæ sine fidejussoribus debebatur; quamvis creditor in solutione voluntaria, licet indistinctè solutum sit, id est nec debitor, nec creditor specialiter designaverint, in quam causam solutum velint, in duriolem causam teneatur referre: durior est autem quæ satisfato debetur. Et hanc differentiam ex verbis colligimus, & contrariæ Glossæ suspicio verbis apertissimis textus refellitur.

Ad L. 73.
Dig.

Verùm ut quæ pertinent ad regulas supra expositas persequamur, sive debitor sive creditor apertè legem dixerint solutioni; quod conventum est omnimodo servari debet *L. 5. in fine L. 24. & 89. hoc tit.* & quidem in *§. 2. L. 5.* potest debitor in solvendo eam legem dicere, ut pluribus fidejussoribus, quos dedit unum tantum liberet, ita ut ipse & reliqui fidejussores obligati remaneant, qua de re plenius ad *L. 37. hoc tit.*

Ad L. 24.
& 89. Dig.

In specie verò *L. 24.* notanda ambiguitas vocis *dena*, quæ & decem & viginti in *dicta Leg.* simul significat *dena dena*: & quidem in obligatione fidejussoris, qui pro duobus reis fidejussit qui diversis temporibus decem promiserant. *Dena* promisit fidejussor, id est pro singulis decem promisit: quare & obligari dicitur in viginti; quæ quidem viginti si solvat, utrumque reum liberat in solidum: *dena* enim pro duobus promittere intelligitur. Quod si decem tantum solvat, utrumque etiam reum relevare intelligitur, nempe singulos in quinque; & hoc propter vocis ambiguitatem: sæpe enim *dena* significant decem, ut pluribus exemplis confirmat Cujacius *lib. 25. Observat. cap. 13.* Per consequens quia, quod indistinctè solvit decem, verba & solutio utrique reo principali ex æquo possunt convenire, nec potius ad unum quàm ad alium possunt referri; æqualiter utrique proficient: uterque enim reus poterit contendere se fuisse liberatum, nec in antiquius debitum illa decem referentur. Si verò quinque, vel quindecim soluta fuerint; quia ambiguitas cessat, tunc locus erit regulæ Juris, & antiquiori debitor cedet solutio.

Quòd si in solvendo actum fuerit, propositum & tractatum propter quam summam solvatur, licet in apocha vel acceptilatione generalia & peremptoria quædam verba reperiantur, v. g. *reliquum, omne, cætera*; restringentur tamen ad summas tantum, de quibus solvendis nominatim fuerit actum, licet eidem creditori debeat ex aliis causis, hæc ratione quia cogi-

tatum de illis non fuit, ut in eleganti specie *L. 89. hoc tit.* quæ valde confirmatur *L. 5. & L. 9. §. 1. ff. de Transactionibus.*

Antiquius autem debitum intelligimus, non tantum quando contractus est antiquior tempore, sed etiam cujus solutionis dies cessit prius; quamvis uno & eodem die & momento uterque contractus peractus sit: licet etiam eotempore, quo petitur, utriusque debiti terminus venerit: lex enim dicta initio contractus cujusque servanda est, ut in *§. 2. dicta L. 89.* in quo hæc verba (*ita ut viginti prius solvantur Idibus Septembribus*) efficiunt, ut antiquius sit debitum, quamvis alter contractus eodem die peractus fuerit, & sub usuris gravioribus: quæ enim lex in contractu fuit apposta, quoties aliud dictum est, in solutione censetur repetita, sicut & in specie *§. penult. L. 96.* pretium pignorum distribuitur secundum legem in constituendo pignore dictam. Quod verò dicitur in *dicto §. 2. (Idibus Septembribus)* repetendum est ex more solemnium usurarum, quæ in singulos menses constituebantur & exigebantur. Solebant quidem pecuniæ Calendis collocari; non tamen sequentis mensis Calendis statim exigebantur, sed Idibus tantum; dato quodam spatio temporis debitori ad conficiendam pecuniam. Utrumque eleganter Horatius colligit.

Omnes relegit Idibus pecuniam,

Quærit Calendis ponere.

Graviores autem usuras levioribus opponit. Gravissimæ sunt centesimæ, quæ intra centum menses sortem exæquant: leviores sunt semisses, quinquunces & unciarum comparatione facta ad centesimam, sicut ad assem.

Notandum tamen sicut originem, ita etiam finem & modum usurarum Legibus definitum fuisse, nec licere excedere. Quare verissimè Papinianus in *L. Si navis ff. de rei vind.* Usuras ait, non naturâ provenire, sed jure percipi, non ex ipso corpore sicut fructus, sed ex alia causa, id est stipulatione, nova obligatione: prima enim obligatio est mutui sive pecuniæ creditæ; nova obligatio, sive usurarum ex stipulatione *L. 121. ff. de Verb. sig.* Ea omnia quæ diximus de usuris, elegantissimè explicat Seneca lib. 7. de Beneficiis cap. 10. *Quid enim ista sunt? quid fœnus? quid calendarium? quid usura? humana cupiditatis extra naturam quaesita nomina. Quid sunt ista tabula? quid computationes & venale tempus, & sanguinolenta centesima? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subjici oculis, quod teneri manu possit.*

Antiquius etiam debitum intelligitur, quod primò cœpit deberi, licet eo tempore quo solutio fit, plurium summarum debitor inveniatur reliquator: tunc enim non omnibus summis vel æqualiter, vel pro rata, sed in primam quamque summam, id est quæ prius debita est, proficiet solutio; imò quamvis ita generaliter concepta fuerit apocha, *Accepi ex summa majore tot aureos, L. 102. §. 2. hoc tit.* generalia verba secundum Juris intellectum explicabimus; quod est hujusmodi, ut quoties paria sunt nomina, in antiquius debitum liberatio contingat. Huc etiam pertinet *L. 77.* in liberto antiquiorem non esse contractum quàm operarum, quas pro libertate promisit vel juravit patrono in datione libertatis vel in continenti: cujus *L. speciem* Glossa non intellexit: nec enim de potestate & viribus obligationis operarum dubitabatur, sed comparatio fit cum aliis contractibus gestis cum domino ante vel post manumissionem, ut in specie *L. 1, 2.*

*Ad L. 77.
& 102. §.
2. Dig.*

§ 5. *Cod. an servus pro suo facto.* Antiquissimus autem ille est contractus operarum; imò & omnium primus: nam ante manumissionem servus personam & caput non habet, nec est capax obligationis. Quare ex ante gesto in servitute non tenetur; ex solis tantum delictis in servitute admissis post manumissionem tenetur.

Eo verò momento, quo manumittitur, nasci intelligitur: statum, caput, personam accipit. Itaque nulla potest esse antiquior obligatio liberti quam operarum, sine qua libertas ei data non esset. Sub hac nempe conditione dari solet, ut præstentur operæ officiales patrono: quamvis etiam ex mera liberalitate libertatem dominus si velit conferre possit. Hujusmodi autem obligatio operarum inter eas quæ verbis contrahuntur, à Gaio numeratur in *Institutionibus*: quæ quidem obligatio hoc habet singulare, ut non tantum per stipulationem, sed etiam per juramentum liberti nudum, & absque stipulatione constitui possit, si nempe libertus patrono præsentem donum, munus, aut operas se daturum esse juraverit, *Gaius lib. 2. Instit. tit. 9. §. item*, quod *Lege Julia & Papia* effectum est; alioqui nunquam ex juramento, sicut nec ex nudo pacto datur actio, nisi lex nominatim, vel alia similis pars juris id statuerit, & actionem induxerit. Diximus *libertum promittere*; nulla enim alia persona præterquam liberti patrono ex juramento operarum naturaliter vel civiliter teneretur, *L. Si quis 56. ff. de Fidejussoribus*. Diximus *præsentem patrono*, non autem *absenti L. 6. §. Si quis absenti ff. de Confessis*. Præterea verborum obligatio, qualis & ista, inter præsentem tantum contrahitur, in ipso articulo manumissionis vel paulò post. Diximus autem *verbis juramento firmatis operarum obligationem contrahi*: quare mirum non est, si ipso Jure etiam per acceptilationem tollatur *L. 13. ff. de Acceptil.* Vide *Cujacium utroque Paratitulo ff. & Codicis de Operis libertorum*, maximè in *Postumis Codicis & lib. 22. Observationum cap. 7.*

AD LEGEM IX. X. XI. XII. §. 3. XXXIII. initio, XXXIV. §. 2. XXXVIII. initio, LVII §. 1. LIX. LXXI. initio, LXXXI. XCV. §. 5. 6. 7. XCVIII. §. 4. 5. 6. 7. & CVI. ff. & ad L. XII. Cod. eodem.

LEges omnes quas collegimus pertinent ad tractatum de Adjecto solutionis causâ in stipulatione. Et quidem statim in principio observanda est hæc regula, quæ proponitur in *L. 12. Cod. hoc tit. invito vel ignorante creditore qui solvit alii, se non liberat obligatione*: sicut etiam aliud pro alio solvi non potest, nisi consentiente creditore *Instit. quib. modis tollitur obligatio initio*. Invito vel ignorante: nam mandante, vel ratum habente postea creditore, rectè solvitur, v. g. procuratori, dispensatori vel actori servo, quibus dominus solvi permiserat; vel etiam cuilibet, si postea creditor ratam habuerit solutionem: rati habitio enim mandato comparatur; vel etiam ex officii necessitate, v. g. utilitate publica suadente, pupillorum Tutoribus vel Curatoribus furiosorum & dementium rectè solvitur: de quibus omnibus personis, quibus pro alio rectè solvitur, *hoc nostro titulo* separatim tractatur. Multò magis autem rectè ei solvitur pro alio, qui Adjectus est in ipsa stipulatione; quia ita placuit in contrahendo; ita lex dicta est communi consensu partium: quare tenetur si-

Ad L. 12.
Cod. L. 12.
§ 3. & 106.
Dig.

pulator invitus eam observare : *certam enim conditionem accepit ab initio stipulatio, quam immutare amplius non potest stipulator L. 12. §. 3. ff. hoc tit.* Jure stipulationis & contractus solvere potest debitor Adjecto, etiam invito creditore : imò & prohibente *L. 106. ff. hoc tit.* quia talis fuit lex obligationis *L. 6. eodem.* Quare in *dicta L. 106. & in L. 12. hoc tit.* distinguitur Adjectus ab eo, cui post contractam stipulationem mandato vel permissu meo solvi jubeo. Hujusmodi enim mandata, vel expressa ut in procuratore ad exigendam pecuniam, vel tacita ut in dispensatore, institore, & similibus, quibus libera administratio permessa est, rebus integris revocari possunt : sed de his plenius suo loco.

Adjectus itaque solutionis gratiâ continetur contractu & inter causas obligationis refertur in *L. obligationum causa ff. de obligatio.* sicut & dies, conditio, modus & locus : inter causas tamen per accidens, non autem inter eas, quæ sunt de substantia contractus : licet enim Adjecti persona, vel non omnino vel non rectè adjiciatur, non ideo minus in persona stipulatoris utiliter procedit stipulatio ; sicut etiam si non inseratur conditio, tempus, locus & modus, consistit tamen & pura dicitur obligatio.

Ad L. 10.
33. 34 §. 2.
57. §. 1. 59.
71. initio,
98. §. 4. 5.
6. & 7. Dig.

Causa autem ista obligationis specialiter appellatur accessio in *d. L. obligationum §. accessio* ; quia adjicitur persona quæ accedit reo principali, & cui rectè solvi potest, perinde ac si solveretur reo principali. Solvi, inquam, potest tantum : nec enim petere vel à debitore vel ab ejus fidejussore potest : multò minus novare obligationem, vel acceptum facere *L. 10. hoc tit. & L. 16. ff. de fidejussorib.* quia nec obligatio nec actio ei acquiritur, sed stipulatori tantum. Adjectus solutionis tantum causâ adhibetur, & factum tantum solutionis in ejus personam conferitur : & quidem, ut infra dicemus, ante litem contestatam à reo principali cum debitore : nullum enim jus postea ei competit *§. si quis alii Instit. de inutil. stipulat. L. 57. §. 1. L. 98. §. qui stipulatus vers. at ubi simpliciter ff. hoc tit.* Quare in constituenda obligatione, utrum valeat nec ne, inspicitur tantum utrum, quòd ad stipulatorem pertinet, vires acceperit obligatio ; persona Adjecti non consideratur *L. 141. §. 5. ff. de verb. oblig.* Quare etiam persona Adjecti semper ponitur loco posteriori, nec potest præcedere : nec enim obligatio solutionem aut solutionis tacitam mentionem subsequi debet *L. 93. §. si servus ff. hoc tit. & L. 45. Gajus ff. soluto matrim.* Eademque ratione una & eadem res, non diversæ, ex stricto jure hujusmodi obligatione contineri potest, & simul solvi debet eadem res creditori vel Adjecto, non diversa. V. g. si creditor sibi decem dari, vel Adjecto Stichum stipuletur ; quæ adjectio personæ & rei simul vocatur in *L. 44. §. accessio ff. de Obligationibus* : multò magis si non tantum res diversæ, sed etiam facta diversa deducta fuerint in obligationem ; ipso jure, si vel aliud solutum, vel aliud factum impletum fuerit in persona Adjecti, à reo principali liberatio non continget. Ipso jure, inquam ; quia, ut diximus, illud tantum re continetur in obligatione, quod fuit promissum creditori ; cui etiam soli obligatio acquiritur ; ex æquitate tamen per exceptionem subvenietur debitori, cui secundum legem conventionis aliud pro alio solvendi Adjecto facultatem permisit creditor. Electio debitoris complenda est, quæ revera non impletur, si quod conventum est non solveret Adjecto *L. 41. §. 5. ff. de*

verb. oblig. L. 34. §. stipulatus & L. 98. §. mihi Romæ ff. hoc tit. Et ita, ut supra attigimus, hoc casu stipulatio non tantum tenet & obligat debitorem sive promissorem, sed etiam stipulatorem seu creditorem. Ex dicto tamen §. 5. & ex §. 1. L. 57. *hoc tit.* notandum beneficium illud electionis, quo permittitur debitori etiam invito vel ignorante creditore solvere Adjecto, sive una & eadem res obligatione contineatur, sive alia creditori, alia Adjecto promissa sit; habere tantum locum ante litem contestatam. Nam post litem contestatam non potest amplius Adjecto solvi, quem stipulator prævenit, & imputare sibi debet quod electione sua non est usus L. 16. *inpr. ff. de fidejussoribus & L. 57. §. 1. Dig. hoc tit.* Quamvis autem res diversæ ipso jure designari non possint in persona adjecti; locus tamen, tempus, modus, imò & conditiones diversæ possunt addi, cum hac tamen cautela, ut prius in persona rei principalis obligatio consistat, ut in exemplis L. ult. *ff. de verb. oblig. & L. 98. §. 4. & 6. juncta L. 70. ff. hoc tit.*

Persona verò cujuscumque sexus, ætatis, vel conditionis adjici potest, quæ res intellectum naturalem habet, nec ad jus refertur, vel ad personas Jure Civili cognitæ, v. g. non potest solvi hæredi Adjecti L. 55. *ff. de verb. oblig. & L. 81. ff. hoc tit.* Solutio enim, sicut & traditio, facti magis est quam juris L. consilio §. ult. *ff. de curatore furiosi*: factum enim personæ electum est, quod naturaliter in ejus tantum, non autem in alterius persona implendum est: quamvis ea quæ in jure consistunt, transeant ad hæredem, fictione scilicet juris, quæ defuncti personam hæres repræsentat: quas fictiones & commenta non recipiunt ea, quæ consistunt in facto. Eadem ratione si servo vel filiofam. solvi quis stipuletur, patri vel domino non rectè solvitur, nisi consensus filiofam. vel servi interveniat L. 95. §. 5. *in fine ff. hoc tit.* Idemque dicendum, quoties in aliqua certa & designata persona est conditio implenda: comparatur enim sæpissimè Adjectus solutionis causâ cum eo, in quo impletur conditio L. 68. & 95. §. 5. *hoc tit.* Pupillo etiam adjecto solutionis causâ solvi potest, etiam non interveniente tutoris autoritate, L. 11. *hoc tit.* licèt certum sit si quid pupillo principaliter debeatur, sine tutoris autoritate non rectè solvi L. 15. & passim *hoc tit.* Receptum tamen est tutori pupilli Adjecti vel curatori furiosi rectè solvi posse d. L. 95. §. 7. si tamen pecunia in rem pupilli versa fuerit, ut in dicto §. additur: confirmatur L. 22. *ff. de manumiss. testa.* Tutor enim domini, id est pupilli loco est, si utiliter res ejus administret, non si avertat vel dissipet.

Qua tamen in re quando nempe de datione pecuniæ tractatur, distinctio constituenda est inter pupillum vel furiosum adjectos solutionis causâ in contractu inter duos vel plures inito, & inter pupillum & furiosum, in quorum personis conditio pecuniæ dandæ testamento est appositæ. Quæ quæstio tractatur & deciditur in L. 68. & L. 95. §. nam si 7. *ff. hoc tit. & L. 13. ff. de Conditio. & demonstr.* Ita speciem ponamus: hæredem instituo Titium, vel fundum aut ædes lego, vel libertatem lego Stichos, si decem dederit pupillo vel furioso. Quamvis dixerimus pupillo adjecto solutionis causâ rectè solvi etiam sine tutoris autoritate; tamen illis casibus non rectè furioso vel pupillo pecunia dabitur, sed tantum eorum

Ad L. 11. ff. 68. 81. 95. §. 5. & 7. Dig.

tutoribus vel curatoribus : quare rectè Papinianus in *dicto* §. 7. *L. 95.* ita colligit : *si conditionis implenda causâ rectè tutori vel curator pupilli vel furiosi datur* : quod receptum fuisse ait utilitatis causâ à Labeone & Pegaso, id est à Proculianis (aliud enim sentiebant Sabiniani, ut dicemus :) eadem utilitatis ratione suadente & per consequens poterit solvi tutori vel curator Adjecti pupilli vel furiosi : uterque enim casus in datione & in facto, sive numeratione pecuniæ versatur. Non tamen idè negat quin etiam pupillo adjecto solvi possit : imo præsupponit hoc velut certum ; unde ratio dubitandi petenda est in *d. §. 7. L. 95.* necessarid scilicet solvendum pupillo : quod statim proponitur in *L. 11. ex Pomponio lib. 8. ad Sabinum* ; sicut & *L. 13. ff. de Conditio. & demonstr.* sumpta est ex *Pauli lib. 5. ad Sabinum*, & *L. Mævius 55. cod. tit. ex Javoleno*, qui Sabinianus fuit.

Nempe dissentiebant circa conditionem dandi furioso vel pupillo utriusque scholæ Jurisconsulti. Et quidem Sabiniani omnino in persona pupilli vel furiosi conditiones omnes sive dandi sive faciendi implendas contendebant ; quia ubi certa persona designata est nominatim, strictò parendum est conditioni : nec curandum quid de pecunia fieret, daretur perdituro nec ne. Quod apertè probatur ex *dicta L. 55.* Contra verò Proculeiani, quorum Princeps Labeo, Proculus & Pegasus, qui & nominatim à Papiniano novæ sententiæ citantur autores, quamvis strictò jure admitterent, quoties persona aliqua comprehenditur conditione, qualiscunque sit, & cujuscunque conditionis, parendum esse conditioni : tamen utilitatis causâ, si pupilli vel furiosi persona occurrebat, distinguebant inter conditiones, quæ in faciendo & eas quæ in dando consistunt : v. g. in faciendo, *Stichus liber esto, si servierit per tres annos, vel moratus fuerit cum pupillo vel furioso, aut quid aliud fecerit.* In his & similibus casibus, tutore etiam vel curatore absente vel non interveniente, conditiones in faciendo impleri possunt. Quod si in dando, in numeratione pecuniæ versentur, eorum tutori vel curator rectè dabitur *L. 95. §. 7. hoc tit. & dicta L. 13. ff. de Conditio. & demonstr.* quæ desumpta videtur ex *Notis Pauli*, quas ad *Sabinum*, & sæpe contra ejus mentem adscripsit secundùm jus, quod postea receptum est ex sententia Proculeianorum, quæ prævaluit.

Hoc amplius Ulpius Marcellus, quem Proculeianum fuisse rectè nuper observavit doctissimus Merillius *lib. 1. Observat. cap. 28.* ubi tamen hunc locum insignem omittit : Marcellus, inquam, qui plenissimè tractavit hanc quæstionem in loco singulari *L. 68. hoc tit.* addidit non tantùm rectè persolvi tutori pupilli vel curator furiosi, sed præterea non aliter rectè dari, nec posse impleri conditionem in persona furiosi vel pupilli, hac ratione, *ne datio ex illorum imbecillitate pereat* : perdituris enim dedisse videretur : *nec enim hoc egisse ait testatorem, ut quoquo modo esset datum, expleta videretur conditio. Rectè testatorem.* Itaque præcisè de conditione in testamento apposita loquitur : quod & prima legis verba & facti species satis ostendunt ; aliud scilicet significans dicendum in contractibus, in quibus similis conditio dandi est apposita : itemque aliud in Adjecto gratiâ solutionis in stipulatione, de quo loquitur *Lex 11. ff. hoc tit.* His enim casibus liberum est debitori etiam pupillo solvere ; de-

bitor quippe in contrahendo sibi prospexisse intelligitur potius quam pupillo, & imputare sibi debet stipulator, qui solvendi pupillo facultatem debitori permisit. Aliud in testamentis : testator enim, qui legatum vel libertatem relinquit sub conditione dandi furioso vel pupillo, eis consuluisset prudenter præsumitur, & juvari beneficio debent, non decipi : nec hæres vel legatarius, qui onerati sunt conditione dandi, possunt dici sibi prospexisse ; solus enim testator condit testamentum & legem dicit in eo. Eademque ratione impossibilis conditio institutioni vel legato apposita non vitiat testamentum : circumscribitur enim tanquam mendum testatoris : contractum verò inutilem reddit ; lusisse enim uterque intelligitur : nec enim credimus si seriò agere voluissent, duobus vel pluribus mendum facile excidere *L. 1. ff. de Conditio. institut. L. 3. ff. de Conditio. & demonstr. & §. 10. Instit. de heredib. instituendis, juncta L. 31. ff. de Obligatio. & actio.*

Quoties autem implenda est conditio, vel in persona pupilli, vel in persona tutoris ; si stet per pupillum vel per tutorem, quominus pareatur conditioni, perinde habetur ac si impleta foret *L. 7. & 24. ff. de Conditio. & demonstr.* dummodò tamen nulla fraus, culpa, vel dolus arguatur illius, qui conditionem tenetur implere. Quid enim si colluserit cum tutore, vel curatore ? non habebitur pro impleta ; nequidem si libertas sub conditione relicta sit *L. 22. ff. de Manumissis testamento.*

Adjecto itaque pupillo rectè solvi potest secundum Sabinianos : quod & Tribonianus probavit, qui *d. L. 11. inserit hoc tit.* in qua tamen notandum nihil de furioso dici, licèt in hac quæstione pupillus & furiosus perpetuò comparentur. Quare crediderim tantum posse solvi curatori furiosi : & ita idem erit jus, sive adjectus sit furiosus solutionis gratiâ, sive in persona furiosi sit implenda conditio, id est utroque casu curatoribus furiosi tantum solvetur rectè, non autem ipsis. Differentiæ ratio videtur, quia furiosus qui perpetuò furore laborat, nulli rei gerendæ superesse potest ; pupillus verò, maximè qui excessit infantiam, vel qui pubertati proximus est, intelligit quod agatur. Pupillo adjecto itaque rectè solvitur ; ejus verò tutori uno tantum casu valde singulari, si pecunia in rem ejus versa est : furioso nunquam rectè, quia omnino solutionis est incapax. Aliud in minore : minor enim solutionis est capacissimus : quare minore adjecto, ei tantum solvi potest, non autem curatori ejus.

Diximus autem, qualiscunque fuerit status & conditio Adjecti, valere : quod ita Jurisconsulti interpretantur ex tacita & præsumpta voluntate contrahentium, ut spectetur tempus, quo contractus vel stipulatio interponitur *L. 38. ff. hoc tit.* Itaque valet adjectio, sive Adjectus fuerit tempore contractus status integri, sive capite minutus qualicunque capitæ diminutione, seu minima, mutatione nempe familiæ, v. g. emancipatus vel in adoptionem datus, seu media, amissa civitate, v. g. deportatus, qui in peregrinitatem quodammodo redigitur, vel potius ἀπλις *L. 1. §. 2. ff. de Leg. 3.* seu maxima, si servus factus sit : poterit tamen adjici solutionis causâ, quia solutio cum versetur in facto, cujus & servus & deportatus sunt capaces, nulla est difficultas quin rectè hujusmodi personæ adjiciantur : eademque ratione deportatus eligendi facultatem habet, cui restituatur fideicommissum *L. 77. §. 4. ff. de Leg. 2. &*

*Ad L. 38.
initio Dig.*

L. 17. §. 5. & L. 6. ff. ad S. C. Trebellianum: eademque ratione servus & filiusfamilias quamvis in potestate sint, electionem tamen habent *L. 141. initio ff. de Verbor. obligatio*. Itemque si servus vel filiusfamilias sibi ire agere, sibi possidere licere, sibi habere stipulentur; quamvis jus stipulationis & actionem acquirant domino vel patri: in facto tamen explicando persona stipulantis omnimodo continetur, qualiscunque sit. Facta enim in actu naturali singulorum hominum consistunt, nec in his ad jus recurrimus; & ita coherent personæ, ut ab una in aliam licet conjunctam quocunque vinculo trahi non possint *L. 38. §. 6. & 7. ff. de Verb. oblig. juncto §. 1. Instit. de Stipulat. servorum*, & ibi Cujacius in *Notis posterioribus*.

Superveniens tamen qualibet capitis diminutio Adjecti post contractum impedit, quominus amplius & possit solvi *L. 38. ff. hoc tit.* Adjectus enim comparatur procuratori, quasi nempe ei à domino mandatum esset, ut pecunias reciperet: quare etiam mandati actione tenetur domino *§. Si quis alium in fine Instit. de Inuit. stipulatio*. Mandatum enim extinguitur non tantum morte naturali procuratoris, sed etiam civili *L. 17. ff. de Procuratoribus*. Quod latius extendit D. Cujacius ad *L. 38. ff. hoc tit. ad Africanum*, præter capitis minutiones, etiam ad relegationem, & Senatus motionem Adjecti: quamvis enim utraque contingat, integro manente statu capitis; æstimatio tamen & fama relegatione amittitur: Senatu verò motus licet non fiat infamis; tamen valde gravatur ejus opinio apud viros bonos: sicut olim licet Censoris nota non infligeret infamiam, minuebat tamen famam, & notabat.

Ad §. 5. L. 95. Dig.

Opponi solet *§. Usumfructum L. 95. hoc tit.* in quo Titio Adjecto capite diminuto, facultas ei solvendi tamen dicitur non intercidere; itemque *L. 56. eum qui §. Qui sibi aut filio ff. de Verb. oblig.* in qua filio Adjecto etiam emancipato rectè solvi dicitur. Ex variis solutionibus verior videtur, quam Cujacius ad *d. L. 56.* & sæpius postea constanter probavit, has duas Leges intelligendas, quoties tempore contractus & stipulationis Adjectus erat capite minutus: quod manifestè colligitur ex verbis Papiniani, qui in *dicto §. Usumfructum* ita colligit: si nominatim potest conferri solutio in id tempus quo capite minutus erit Adjectus licet tempore contractus integri capitis foret; multò magis valebat adjectio, si eo tempore quo contrahitur, capitis diminutionem fuerit jam passus: quod in *dicto §. qui sibi d. L. 56. ff. de Verb. oblig.* tractatur.

Iterum ad §. L. 95. D.

De hujusmodi stipulationum variis formulis, *mibi aut filio dare spondes; vel filio dare spondes*, vel contra *mibi aut patri, vel mibi tantum* repetitur similiter in *L. 95. §. 5. hoc tit.* & ita explicandum. Jure patriæ potestatis, patris & filii una vox est: itaque sive ita stipuletur pater, *mibi vel filio meo dari*, sibi soli acquirit obligationem; adeò ut ne quidem filio solvi possit, quia non fuit ea mens stipulantis, ut solutionem in personam filii conferret, sed magis ei acquisitam obligationem voluit, vel potius sibi tantum: nam hujusmodi obligatio statim per filium vel servum acquireretur patri vel domino, nec in eorum persona posset consistere. Quod si pater stipuletur, *sibi aut filio dari*, manifesta est mens patris; quæ ita commodè explicatur, ut sibi primùm quæsitam velit obligationem; solutionem verò in filium, sicut in alium quemlibet contulerit. Quod si ita filius stipuletur,

mibi

mibi aut patri, ita distinguit Papinianus: si filius stipuletur ex rebus quæ non acquiruntur patri, castrensi putà vel quasi castrensi peculio, vel hodie ex omnibus bonis adventitiis; filio quidem acquiritur obligatio, pater autem tanquam quilibet extraneus pro Adjecto rectè habebitur. Aliud si stipuletur ex rebus quæ patri jure potestatis solent acquiri: frustra enim adjiceret patrem solutionis causâ, cui ipso jure omne jus obligationis acquiritur.

Observandum autem ad §. 5. L. 98. hoc tit. multùm differre illas *Iterum ad 6.* verborum conceptiones, *mibi aut Titio dari*; si *mibi non dederis*, Titio §. L. 98. ff. *dari*; & illam, si *Titio non dederis quinque*, *mibi decem dari*. Primo casu pura est stipulatio: duobus aliis est conditionalis. Itaque in specie postrema decem sunt in obligatione, quæ tamen est conditionalis: nam si promissor impleverit conditionem, & quinque Titio solverit, liberabitur ab omni obligatione quæ erat in decem; quia defecit conditio. Si verò specialiter *sibi decem*, aut *Mævio quinque* stipuletur; solutis quinque Mævio Adjecto, reliqua quinque rectè à stipulatore petentur. Quod si contra *sibi quinque*, aut *Mævio decem*; potest quidem liberari solvendo stipulatori quinque: at si Adjecto quinque soluta fuerint, stipulator in alia quinque, quæ sibi nominatim stipulatus est, agere poterit: si decem autem Adjecto fuerint soluta, nulla erit actio stipulatori adversus promissorem, quasi ab initio ita fuerit actum expressè, *si mibi quinque non dederis, decem dabis Adjecto*: sed adversus Adjectum supererit actio mandati, ut recipiam decem, quæ meo nomine ei soluta sunt, d. §. 5. L. 98. L. Julianus 131. §. 1. ff. de Verborum oblig. & §. Plane. Instit. de inutilib. stipulatio, nisi fortè stipulator donandi animo solutioni Titium applicaverit. Nunquam autem hæc verba, *mibi decem aut quinque Titio dari*, ita accipiuntur, quasi conditionem tacitam contineant, *nisi dederis quinque Adjecto, mibi decem tanquam pro pœna dabis*: nisi hoc ipsum expressè actum doceatur: tacitas enim conditiones nobis non licet inducere, nisi vel lege vel manifesta mente contrahentium suadente, ut rectè Cujacius lib. 25. Observat. cap. 18.

Observandum postremò particulas *aut & vel*, in his stipulationibus, *mibi aut Titio*, *mibi & Titio*, *mibi vel Titia*, accipi prout naturaliter sonant, & esse disjunctivas; separare creditorem & stipulatorem ab Adjecto, & alium effectum habere in persona stipulatoris, alium in persona Adjecti. In testamentis tamen personarum distinctionem per illas particulas, *aut & vel*, continere mendacem distinctionem, & pro conjunctis haberi L. pen. Cod. de Verb. signific. Quæ tertia differentia duabus aliis, quas supra notavimus inter testamenta & contractus, est addenda, & jungendus D. Cujacius ad dictam L. penult. in Postumis Codicis.



AD LEGEM XII. XIII. XIV. XV. XVIII. XIX. XXIII. XXIV.
 XXVIII. XXXII. XXXIV. §. 4. 5. & 6. XXXV. XXXVIII. §.
 1. XL. XLI. XLIII. XLIV. §. 1. XLV. §. 1. XLVII. XLIX. LI.
 LIII. LIV. LVI. LVIII. LXII. LXIV. LXV. LXVI. LXVIII.
 LXXI. §. 1. 2. & 3. LXXXVI. LXXXVII. XCI. XCIV. §. 3.
 XCV. §. 2. 4. 10. & 11. XCVI. initio & §. 1. XCVIII. §. ult. C.
 & ult. Dig. & Leg. IV. XI. XII. & XIX. Cod. eodem titulo.

Cohæret hic Tractatus cum superiori, in quo disputavimus de Ad-
 jecto solutionis causâ : pertinet enim ad generalem illam tractatio-
 nem, quæ in plures partes resolvitur ; quomodo nempe & quoties al-
 teri quàm creditori solutione facta, contingat liberatio. Et quidem supra
 docuimus Adjecto in ipsa stipulatione & contractu ideo rectè solvi,
 quia creditor mandasse videtur, ut ei solveretur ; eadem ergo ratione si
 post stipulationem & contractum mandatum vel jussus creditoris interve-
 niat, ut alicui solvatur ; debitor ei solvendo liberationem consequitur, non
 minus quàm si ipsi creditori solvasset, *L. 12. Cod. hoc tit.* Mandato au-
 tem aut jussu speciali precedente verus procurator constituitur exigendis
 pecuniis : nec tantùm liberos homines, sed etiam servos plerumque tam
 mutuis dandis quàm accipiendis pecuniis præponebant, qui actores, &
 dispensatores in libris nostris appellari solent. Imò & absque speciali
 mandato procuratori, cui generaliter omnium negotiorum administratio
 permessa est, itemque servo, cui libera pariter omnium negotiorum gestio
 concessa est, per consequentias permillum intelligitur à domino, ut rectè
 solvatur. Negotiorum tamen gestori, id est qui ultrò se offert alienis ne-
 gotiis, non rectè solvitur, nisi postea creditor ratam habuerit solutionem.
 Quin & utilitate publica suadente, tutori rectè solvitur, vel etiam cu-
 ratori : quæ est exceptio regulæ dictæ *L. 12. invito vel ignorante creditore
 qui solvit alii, se non liberat obligatione.* Sed hoc ideo receptum est, ut
 diximus, propter utilitatem publicam ; quia hujusmodi personæ suis re-
 bus vel propter ætatem, furorem, morbum perpetuum, vel quam aliam
 causam superesse non possunt.

*Ad L. 49.
 §. 6. 64. D.*

Separatim tamen de singulis tractatur in Legibus, quas simul collegi-
 mus : quamvis enim sæpissimè inter se comparentur & jungantur
 omnes personæ supra numeratæ in *L. 49. hoc tit.* in singulis tamen sin-
 gularia quædam & differentiæ occurrunt, quas in progressu explicabi-
 mus.

Itaque in *L. 49.* in qua solutionis & satisfactionis dictiones explicantur,
 quas in *Paratitulo* exposuimus ; quibus hoc addendum hanc *L. 49.* ad
 subjectam materiam referendam esse, id est ad liberationem & lutionem
 pignoris, ut docet inscriptio Legis ad *Hypothecariam formulam*, id est actio-
 nem : nec enim tantùm solutione naturali, sed etiam qualibet satisfactione
 creditoris liberatur pignus. Occasione itaque rapta explicat Martianus,
 quomodo fiat solutio. Et quidem initio ait, verè & naturaliter intelli-
 gendum, *quoties debitor ipsi creditori numerat.* Deinde subjicit, sed et si
 jussu ejus alteri solvitur, liberationem contingere. Tum specialiter enu-
 merat personas, quibus nostro nomine solemus plerumque jubere solvi,

v. g. nostris creditoribus, ut ab eis liberemur. Cùm enim jussu meo id quod mihi debes solvis creditori meo, ex uno solutionis facto duo contractus dissolvuntur, & duæ liberationes sequuntur: ego enim qui jussi solvi, liberor à creditore meo; qui enim solvi mandat, ipse videtur solvere L. 56. hoc tit. & vicissim debitor meus, qui solvit meo nomine, à me liberatur L. 64. hoc tit.

Notandum etiam ad d. L. 56. eam pertinere ad actionem Paulianam, ut nempe non tantùm si debitor in fraudem reliquorum creditorum uni solvat, sed etiam si per alium solvi mandat; locus sit Edicto Pauliano, nempe ut revocentur quæ gesta sunt à debitore in fraudem creditorum.

Sequitur in d. L. 49. *Vel si creditor futuro debitori numerari jubcat*: quo casu contrahitur mutuum. Quod jure singulari receptum est in mutuo, ut quamvis nummi nunquam mei fuerint, contrahatur tamen mutuum, & per liberam personam obligatio & actio mihi acquiratur, utilitate id suadente contra regulas Juris L. 2. §. in mutui datione, & L. 15. ff. de Rebus creditis. Sequitur: *vel etiam ei cui donaturus erat*, v. g. si debitorem meum jusserim numerare pecuniam Titio, cui donatum volui, ut in eleganti specie §. 7. L. 34. hoc tit. quo casu debitor qui volente eo solvit, liberatur omnimodo: nec refert quo animo fuerit is cui solutum est, sive pecuniam donationis nomine acceperit, & sibi quæsitam voluerit; sive donatione neglectâ pecuniam acceperit creditoris nomine: sufficit enim debitori dummodo solvat personæ, quæ nominatim designata est; sicut & in Adjecto solutionis gratiâ diximus. Dominium verò rei vel pecuniæ solutæ, quamvis nomine creditoris accepta sit, non tamen transit ad ipsum creditorem, sed statim in eum qui accepit creditoris nomine. Quamvis enim aliquid meo nomine acceperis, meum tamen non fit antequam tradas L. 59. ff. de acquir. rer. dom. & per consequens mansit dominus pecuniæ ille cui soluta fuit: qui si postea eandem pecuniam tradiderit creditori, nummi sunt ipsius creditoris, ut in dicto §. 7. nominatim dicitur. *Ait postea, & fient*: ergo ante traditionem non erant ipsius: & iterum quomodo fieri poterant creditoris, nisi qui tradidit, verus dominus fuerit? Qui enim alicujus rei dominium non habet, illud ad alios transferre non potest L. 20. ff. de Acq. rer. dominio. Traditione autem opus fuit; quia quod nostrum est sine facto nostro ad alios transferri non potest. Qua de re merito Cujacius ad dictum §. in Posthumis ad Julianum. Eo itaque casu creditori actio in rem ad vindicandos nummos non dabitur, quia dominus non est; sed supererit tamen actio mandati.

Dixit initio L. 49. *sed etsi jussu ejus alii solvitur*. Jubendi verbum & mandandi conjunguntur sæpe: hoc verò loco generaliter voluntatem significat, v. g. vel verbis, vel literis seu epistola, vel nuntio: quibus modis, mandato interveniente, constituitur qui propriè appellatur Procurator L. 1. ff. de Procuratoribus. Procuratores autem præponuntur vel ad lites, vel ad negotia: & iterum vel ad omnia negotia, vel ad ali-quod certum, ut in casu proposito specialiter exigendis pecuniis præficitur. Illi autem qui generaliter omnium rerum procurator constitutus est, rectè solvi potest, licet non fuerit in mandato expressum ut ei solveretur. Per consequentias enim generalis mandati præsumitur etiam pe-

Ad L. 87.
Dig.

cuniarum exactio permessa L. 12. § 34. ff. 3. hoc tit. Et sicut præsumitur dominus qui eum præposuit, mandasse debitoribus ut procuratori suo generali solvant; ita etiam mandasse videtur dominus creditoribus suis ut eis solvatur, & procuratori mandasse pariter ut creditoribus solveret L. 87. hoc tit. § L. 59. ff. de Procuratoribus; nisi indebitum solutum sit L. 6. ff. de Conditione indebiti, quæ est conjungenda cum d. L. 87. in qua explicatur. Quinimò licet postea vetuerit administrare procuratorem sive generalem sive specialem; & ita ipso jure desinat esse procurator: ignorantes tamen ex justa causa creditores hujusmodi revocationem & bona fide solventes liberantur d. L. 34. §. 3. Imò & aliis modis, v. g. morte domini, vel manumissione servi actoris mandato soluto, justa tamen & probabilis ignorantia prodest non tantum procuratori, dispensatori, aut actori, quorum munus & administratio stricta juris ratione finita est; sed etiam debitoribus ad liberationem prodest §. Item si adhuc integro Instit. de Mandato. Prudenter itaque dominus egerit, si non tantum procuratoribus revocationem notam faciat, sed etiam debitoribus, ne alteri quam sibi solvant. Qua in re procuratores ab Adjecto solutionis gratiâ in stipulatione differunt: nam etiam prohibente stipulatore & denuntiante, nihilominus tamen rectè solvet Adjecto debitor, quia nempe ea lex in contrahendo dicta est, à qua creditor recedere non potest L. pen. § ult. hoc tit.

Quamvis autem procurator generalis exigere possit pecunias debitas domino per juris præsumptionem, id est licet in ejus mandato nihil nominatim expressum sit de exactione pecuniarum; & qui liberam omnium bonorum permittit administrationem, etiam exactionem pecuniarum; quæ pars est administrationis, intelligitur mandasse: si tamen duobus pariter mandata sit omnium negotiorum administratio, & uterque procurator debitor sit; alter ab altero non exiget; cessat juris præsumptio: & alia potentior præsumptio prævalet; noluisse nempe dominum eos constituere, ut ejus negotiis prætermisissis, & neglectis invicem litibus sese distinerent. Et hæc est species L. 47. ff. de Procuratoribus, cui in L. 48. exceptio subjicitur, nisi specialiter mandatum sit alteri à domino ut ab altero exigeret. Quod si unus tantum procurator sit debitor, alter qui debitor non est poterit ab eo, sicut à quolibet alio debitore exigere §. ult. L. 46. ff. eodem: quam ita rectè cum L. seq. 47. dominus Cujacius conciliat lib. 26. Observat. cap. 6.

Præterea procurator, cui libera administratio commissa est, novare potest antiquum debitum, nominatim in L. 58. ff. de Procuratorib. in vulgata; quamvis desit in Pandectis Florentinis. Basilica tamen vulgata confirmare notavit Cujacius lib. 25. Observat. cap. 27. ex quo loco Gothofredus notam suam transcripsit: Expressa verò est in hanc rem L. 2. ff. de Novatio. in qua comparatur Procurator omnium bonorum Tutori; nempe ad differentiam Procuratoris specialis ad exigendas pecunias, qui sicut Adjectus solutionis gratiâ novare non potest; rem agere tantum in judicio & debitorem compellere potest ad solutionem: Adjectus non potest, quia debitori competit electio ex ipsa stipulatione, cui velit solvere, stipulatore, an Adjecto. Mandato tamen generali non contineri etiam transactionem decidendi causâ interpositam ait Modestinus L. 60. Dig. de Procuratoribus.

Duplex autem est transactio donandi, sive deminuendi causâ, quoties nempe donationis animo rem certam & indubitatam liberaliter remittimus, arg. *L. 1. ff. de transactio. L. Lucius Titius 46. §. ult. ff. de Administr. & peric. tutor.* quæ species propriè non potest appellari transactio, cum donationis plurimum in se contineat: quare in *d. L. 46. tutori* prohibetur, quia ad conservandum patrimonium pupilli & augendum, non autem deminuendum datur: & etiam curatoribus *L. 22. Cod. de Pactis*: itemque filiisfamil. vel servis, quibus libera peculii administratio permessa fuit *L. 3. & 23. Cod. de Pactis*. Solis enim dominis quibus donare licet, & donandi animo transigere licet. Alia est transactio, quæ propriè hoc nomine appellatur, & designatur in *d. L. 60.* & differentia gratiâ dicitur transactio decidendi causâ quoties bona fide non donandi animo, non per gratiam vel ambitiosè tutor vel administrator Reipublicæ de re dubia & incerta consultum volentes pupillo vel Reipublicæ transigunt: quæ transactionis species tutori vel administratori Reipublicæ permittitur. Procuratori verò licet cum generali mandato non tantum interdicitur transactio deminuendi & donandi causâ interposita, sed etiam decidendi causâ.

M. lè in *dicta L. 60.* Cujacius mutat *deminuendi causâ*: eadem enim manu obliteranda erat particula (*etiam.*) Elegans sensus Legis est, non tantum donandi seu deminuendi causâ Procuratori generali, sicut & tutori transigere non licere, sed etiam decidendi causâ, quod minus est, transigere prohiberi, quamvis tutori liceat. Inter tutores enim, curatores furiosi, & administratores Reipublicæ, quibus transigere licet, multæ differentia intercedunt, ut evidenter confirmant *L. 60. & 63. ff. de Procuratoribus*, quæ Lex est Modestini: qua constituuntur differentia inter Tutores & Procuratores; sicut & in *L. 56. §. 4. & penult. ff. de furtis*. Aliæ præterea differentia inter Tutorem pupilli & Curatorem furiosi referuntur, & inter Procuratorem. Curator furiosi vel Tutor non tantum fructus, sed etiam res mobiles pupilli vel furiosi possunt alienare; Procurator generalis non potest res mobiles, sed fructus tantum *d. L. 63.* Rei vitium purgatur, si res pupilli, vel adolescentis furiosi in Tutoris vel Curatoris furiosi potestatem redierit: condictio etiam furtiva utrisque datur *L. 56. §. penult. ff. de Furtis & L. 12. ff. de Curatoribus furios.* quæ omnia dicuntur ad differentiam Curatoris adolescentis qui non est furiosus, vel Procuratoris, quibus ista non licent *d. L. 56. & L. 41. ff. de Usucapio. & usurpatio*. Soli enim Tutores pupilli, vel Curatores furiosi personam domini sustinent, vel domini loco habentur *d. §. penult.* Eademque ratione in *Tractatu præcedenti* de Adjecto solutionis causâ, & conditionem dandi collatam nominatim in personam pupilli vel furiosi, impleri posse in persona Tutoris vel Curatoris furiosi diximus, cum non tantum Tutor, sed & Curator furiosi etiam in personas potestatem habeant: aliud in Curatore adolescentis, qui ad administrationem rerum tantum datus est. Quod diximus de Curatore furiosi, idem dicendum de Curatore dementis & prodigi; nempe eos transigere & alienare posse, & jusjurandum deferre: furioso enim demens semper in jure comparatur; prodigus verò suis in bonis furiosi exitum facere dicitur, & in eo expressa est *L. 17. §. 2. ff. de furejurando*.

Et ut redeamus, Procuratori cum generali mandato licet novationem

dixerimus permissam, sicut & Tutori; transactio tamen denegatur: captiosa enim est inductio ex novatione ad transactionem contra manifesta verba *d. Legis mandato 60*. Differentiæ ratio evidens est: transactio est finis litis, sicut & res judicata; imò per transactionem extinguitur ipso jure præcedens obligatio, si nimirum Aquiliana stipulatio transactioni subiecta fuerit, vel si omissa sit, dabitur exceptio pacti *L. 2. ff. de transactionib.* & utroque casu liberabitur; nec alius in locum ejus substituitur, adversus quem dominus agere possit. In novatione aliud est, in qua prior obligatio ita perimitur, & liberatur debitor, ut tamen ex præcedenti causa nova obligatio, & novus debitor constituatur: quare mirum non est si novatio facilius permittatur quàm transactio: & confirmatur maximè *L. 1. ff. de Officio Procuratoris Cesaris*: quibus procuratoribus inconsulto Principe transigere non licet. Concludamus itaque nec procuratori privatorum cum generali mandato licere, nisi speciale mandatum præcedat, vel postea dominus ratam habuerit transactionem: rati habitionem enim mandato comparamus. Et quod generaliter proponitur in *L. 13. ff. de Pactis*, procuratorem omnium bonorum pacisci posse ne petatur, & nocere hujusmodi pactum domino, ita accipiendum; ut distinguamus inter pactum & transactionem. Permittitur pacisci; quia non ita facilè paciscetur procurator, quàm transiget rei dubiæ & incerti colore quæsito: nam dominus actione mandati eum conventurus est, & facilè condemnaretur: aliud in transactione, quæ cum soleat interponi de re dubia & incerta, mandati actio eo casu vix daretur utiliter adversus procuratorem *d. L. mandato 60*. Ad quam permanfit in emendatione sua Cujacius contra manifesta verba Legis & rationes Juris, quas attulimus supra.

Rectissimè tamen idem vir doctissimus ad *L. 22. ff. de Administr. Tutor. ad Edictum Pauli*, errorem Glossæ & Interpretum refellit, differentientiam ad *d. L. 60. & ad L. 12. ff. de Pactis* inter procuratorem, qui habet generale mandatum, & eum qui habet liberam rerum administrationem. Utrumque enim esse planè similem confirmat apertissimè comparatio *L. 58. & 59. ff. de Procurat.* in quibus agitur de procuratore, cui libera administratio commissa est: quibus ita *L. 60.* connectitur per hæc verba: *mandato generali non contineri etiam*, &c. Quem tamen errorem confirmavit Bonifacius VII I. *cap. 4. de Procuratoribus in 6.* Itemque malè desiderat speciale mandatum, ut possit juramentum deferre, licèt habeat mandatum generale, contra verba *L. 17. S. ult. ff. de Jurejurando*.

Multo magis statuendum in procuratore speciali exigendis pecuniis præposito, eum non posse transigere, imò nec juramentum deferre *L. 18. ff. de Jurejur.* Idemque in procuratore ad lites, quia lis & persecutio in judicio ei tantum permittitur, non autem decisio *d. L. 18. & L. 8. Cod. de transactio*. Quinimo procuratori ad lites solvi non potest, nisi ad hoc nominatim datus sit: aliud enim faceret quàm quod mandatum est. Itaque in his casibus opus habet mandato speciali, nimirum ut juramentum deferat, ut ei solvatur, vel transigere possit *d. L. 18. & 19. ff. de Jurejurando & L. 86. hoc tit.* in qua verè dicitur actionem rei judicatæ non dari procuratori, quamvis post litis contestationem dicatur dominus

fieri litis procurator ; quia scilicet lite judicata finitur mandatum procuratoris ad lites : ad hoc enim tantum datus fuerat.

Superest ut quaedam quaestiones communes explicemus inter procuratorem specialem, qui nempe speciali mandato praepositur exigendis vel credendis pecuniis, & generalem, sive sit liber homo, sive servus, v. g. actor, vel dispensator, qui ex jussu & voluntate dominorum omnia negotia dominorum administrant ; quibus per consequentias liberae administrationis solutio & exactio pecuniarum videtur permessa. Idemque dicendum de filiis, vel servis, quibus à patre vel domino libera peculii administratio est permessa ; quando nempe ex causa peculii eis solvitur. De his nimirum omnibus quaeritur in his Legibus, quas subjiciemus, quibus modis finiatur hujusmodi mandatum, personarum potestas & administratio, & per consequens potestas eis solvendi : quò pertinent *L. 12. 13. 18. 32. 34. §. 3. 35. 38. §. 1. 51. 62. 106. & ult.*

Modi autem solemnes sunt hi, qui & ferè communes omnibus personis, de quibus supra. Primò re integra, mutata voluntate domini, mandatum & administratio finitur : itemque procuratoris voluntate mutata citra captionem tamen, id est ita ut integra causa reservetur mandatori eandem rem explicandi per se vel per alios. Mutatur autem voluntas, vel per expressam revocationem & prohibitionem mandatoris, vel tacitam, veluti si ipse quod negotium mandavit explicare velit *§. recte quoque Institution. de mandato, L. 33. §. 1. ff. de Acq. poss. ff. L. 22. §. ult. ff. Mandati, L. 3. Cod. eodem, & L. 12. 18. 32. 38. §. 1. & 51. hoc tit.* Notanda tamen distinctio, quam supra attulimus, scilicet inter Adjectum solutionis gratià in ipsa stipulatione & contractu, & Procuratorem cui solutio permittitur. Post contractum peractum Adjecto potest debitor solvere, etiam invito & prohibente creditore ; quia nempe in contrahendo ea lex dicta est, & data electio debitori solvendi cui vellet, stipulatori vel Adjecto : à qua lege non recedere licet stipulatori. Procuratori verò vel cuilibet alii solvendo, cui post contractum solvi permiserit ; si postea rebus integris, id est priusquam solvatur, denuntiaverim debitori ne solvat, non liberabitur debitor *dicta L. 12. §. 2. L. 106. hoc tit.* Rebus, inquam, integris, id est ante litis contestationem ; vel antequam aliquid ex debito acceptum sit, vel denuntiaverit Procurator, ut sibi solveret : qui tres casus continentur in *L. 3. Cod. de Novatio. & L. Nulla Cod. de Procuratoribus.*

Morte etiam naturali vel civili Mandatoris, Procuratoris, vel etiam Adjecti, imò & minima capitis minutione finitur mandatum. Imò & si aliquid contingat, quo non quidem caput mutetur, sed dignitatis status valdè imminuatur, v. g. relegatio, vel Senatusmotio ; praesumitur extingui mandatum in liberis hominibus, ut supra docuimus, ubi de Adjecto tractavimus ; sicut in servo dispensatore vel actore efficit manumissio *d. L. 18. & 32.*

Quod si ignoraverint revocationem, vel mortem, vel manumissionem, vel ademptionem peculii Procuratores vel actores servi ; itemque quibus libera peculii administratio permessa est, & simul etiam debitores : & durante utrorumque ignorantia communi, solutum aliquid fuerit, ipso jure liberatio contingit. Quod si debitores soli ignorent & bona fide sol-

vant, licet procuratores vel actores aut servi non ignorent finitum esse mandatum vel administrationem aliquo ex modis supradictis; debitores stricta quidem ratione & ipso jure non liberabuntur, quia nempe alii solverunt & scienti, quam cui debuerint solvere: per exceptionem tamen doli agente iterum creditore liberabuntur §. *pen. Instit. de mandato* & *L. 38. §. 1.* Ubi nominatim per doli exceptionem debitor liberari dicitur. Ex quo loco explicandum quod in *L. 13. 32. & 51. hoc tit.* dicitur absolutè liberari debitor, id est per exceptionem, non ipso jure.

Ratio æquitatis in eo vertitur: debet imputare sibi mandator, quod revocationem, mutationem voluntatis suæ, manumissionem, aut peculii ademptionem non denuntiaverit debitoribus suis: vel etiam mortuo mandatore vel domino, hæredes sibi imputent, *L. fundi 33. de Acquir. vel amitt. hered. possessione,* & *L. 106. hoc tit.* Itemque probabilis & justa ignorantia procuratorum adjuvatur; ne utilitas mandati usibus hominum necessaria hoc metu injecto retardetur, ut prudentissimè notavit Cujacius ad *L. 34. §. ult. ff. mandati ad Africanum.*

Quod autem diximus mandatum finiri rebus integris, vel mutata voluntate, vel morte mandatoris aut mandatarii; patitur exceptionem in eo, qui procurator in rem suam constituitur, v. g. si cui venditum sit, vel datum in solutum nomen, vel in dotem, vel donatum, aut legatum; & simul delegatæ & mandatæ fuerint actiones (quibus modis Procurator in rem suam constituitur:) morte mandatoris lite nondum contestata defuncti actiones nihilominus competunt, & durat mandatum; directè quidem nomine mandatoris, si tamen hærede aliquo relicto mandator decesserit, ex cujus hæredis persona directæ sustineantur: utiles verò proprio nomine emptori & donatario absque cessione, ex constitutionibus Principum competent, *L. 1. 2. 6. & 7. Cod. de Obligatio. & actio.* Imo emptor & donator ad hæredes suos transmittent hujusmodi actiones *L. illa 33. Codice de Donatio.* Ratio differentiæ hæc est, quia procurator in rem suam etiam ante litem contestatam loco domini habetur; pacisci potest de non petendo, transigere, juramentum deferre; imo & alium procuratorem constituere potest. Quinimo si vice mutua conveniatur à creditore suo, poterit objicere compensationem nominis quod sibi cessum est: quod nec in reliquis procuratoribus, nec in tutore quidem locum habet *L. 18. & penult. ff. de Compensatio. L. 13. ff. de Pactis & L. 17. ff. de Jurejurando.*

Diligenter in hac quæstione hæc tria separanda sunt, delegatio actionis sive mandatum actionis, mandatum debitori factum ut alicui solvat, & mandatum quo jussus est debitor alii stipulanti promittere. Delegatio actionis fit duobus modis, vel cum aliquem procuratorem facio in rem meam, vel in rem procuratoris: in rem meam, v. g. quoties mando alicui exactionem pecuniæ meo nomine, & ita cedo actiones meas exercendas, ut omne emolumentum actionis ad me redeat: quo casu qui meo nomine procurator est constitutus, diligenter fines mandati servare tenetur, & actionem tantum potest exercere: novare, acceptum ferre, transigere, juramentum deferre, partem debiti remittere non potest *L. 4. Cod. de Novatio.* & præterea rationem mandati reddere debet ex bona fide.

fide, & actione directa mandati restituere quodcumque lite consecutus est, siue principaliter ipsius rei nomine, siue extrinsecus ob eam rem; sicut etiam contraria actione recuperare debet impendia bona fide facta: actio verò iudicati nec ei, nec adversus eum datur *L. 30. 46. & 68. ff. de Procuratoribus L. 12. §. 9. ff. Mandati.*

Hujusmodi verò mandatum morte mandatoris finire constat *L. 8. Cod. de Obligatio. & actio.* in qua notandum, licet donationis animo mandatum proponatur factum, donationem tamen perfectam non fuisse; quia in re corporali jure veteri traditionem requirebat donatio: in nominibus donandis delegatio, id est cessio actionis pro traditione habetur *L. Illam 11. & 33. Codice de Donatio.* Hujusmodi quoque mandatum, quo procurator quis constituitur, non in rem suam, sed alterius nomine, potest re integra revocari, & præsens dominus experiri adversus suos debitores *L. 3. Cod. Mandati.* Re integra, id est ante litis contestationem *L. Nulla, Cod. de Procuratorib. & L. 16. ff. eodem.* Quinimò post litis contestationem causæ suæ dominus adesse potest *L. 69. ff. de Procuratorib.* Tres autem exceptiones *L. 3. Cod. de Novatio.* refert, si lis à Procuratore contestata sit, si aliquid ex debito acceperit, vel denuntiaverit debitori ut solveret.

In qua quidem *L. 3.* quod summè notandum est, quamvis proponatur creditorem solutionis causâ adversus suum debitorem ei cui debebat ipse mandator, actiones delegasse vel cessisse, suo tamen nomine mandator exigere voluit; alieno nomine egit mandatarius, nec fuit constitutus procurator in rem suam: quare in hac Lege dicitur periculum nominis pertinuisse ad mandatorem, apud quem actiones remanserant: unde merito impedire dicitur, ne à mandatario exigatur. Quæ species longè differt à datione in solutum, venditione, donatione, vel legato nominis: his enim omnibus casibus si in contrahendo delegantur & ceduntur actiones, atque ita procurator in rem suam constitutus revera est; hujus delegationis effectus hic est, ut directas actiones, id est easdem omnino quæ competebant mandatori, exercere possit. Quod si non antè intercesserit cessio & delegatio, benignè & ex æquitate contra regulas Juris, quibus per liberam personam nobis obligatio vel actio non acquiritur, ex constitutionibus Principum utiles actiones, siue personales, & quidem omnes tam adversus ipsos debitores quàm eorum fidejussores & reliquas accessiones; siue etiam hypothecariæ emptori, legatario, vel ei cui nomen datum est in solutum, proprio nomine competunt *L. 1. 2. 6. & 7. Cod. de Obligatio. & actio. & L. ult. Cod. Quando fiscus vel Privatus.*

Notandum tamen quod suprâ attigimus in *L. 8. Cod. de Oblig. & act.* donationem inutilem fuisse, si mandatum debiti exigendi donationis causâ factum, per cessionem actionum siue delegationem confirmatum non fuisset; hodie quia nudo consensu perficiuntur donationes, hujusmodi delegationibus non esse opus; sicut nec traditione in re corporali.

Ubi verò in omnibus illis casibus, nempe venditione, nominis datione in solutum, legato, vel datione in dotem additur delegatio vel cessio actionum ab eo qui vendit, qui dat in solutum, &c. tunc Procura-

tor in rem suam constitui dicitur : ideoque actiones directæ ex cessione mandatoris ei competunt, & licet mandatoris nomine, in rem tamen suam Procurator appellatur : nec enim qui vendidit vel donavit nomen, & mandavit actiones suas, agere poterit mandati adversus hujusmodi procuratorem, ad quem omne commodum & incommodum & periculum nominis pertinet. Mandator enim ex causis supra dictis præstat tantum esse verum debitorem, nec ulla exceptione peremptoria tutum ; locupletem verò & idoneum præstare non debet. Procurator enim illis casibus omne periculum suscipit, suo sumptu agit, & damnatus convenitur actione judicati : lis enim est propria omnino. Nec etiam post litem contestatam à mandatore removeri potest ; quinimo, quod notandum, præfertur ipsi mandatori, etiamsi re integra se liti offerat ; quod stricto jure potest, quia actiones directas mandator retinet : sed æquitas exigit, ut diximus supra, ut Procurator in rem suam præferatur, quia periculum litis & nominis ad eum pertinet. Uno verbo domini loco est *L. 13. ff. de Pactis, L. 28. sub finem, 30. & 55. ff. de Procuratoribus, L. 4. & 6. ff. de Hereditate vel actione vendita, & L. 3. 5. 7. & 8. Cod. eodem, & L. ult. Cod. Quando fiscus vel privatus.*

Quia tamen delegationes & cessiones actionum fiunt invito & ignorante debitore, & procurator in rem suam aliqua ratione negotio alieno fungi dicitur ; quia scilicet contentio ex persona alterius, id est mandatoris sumitur, quamvis effectu rem suam gerat *L. 9. Cod. de Procuratoribus* : ideo dominus re quidem integra agere potest ; nisi procurator in rem suam interveniat, qui præfertur hoc casu *d. L. 55. de Procuratorib.* quia præter directas quæ sibi cessæ sunt, habet suo nomine utiles. Si verò non interveniat, rectè aget mandator, & ei etiam rectè solvetur à debitore : attamen quæcunque exegerit, restituere postea tenebitur Procuratori in rem suam, cui nomen vendidit, legavit, donavit, vel in solutum dedit *L. 14. & 23. ff. de Heredit. vel act. vendit. & L. 7. Cod. eodem.*

Item sicut constituto Procuratore in rem suam à creditore, diximus creditorem qui mandavit nihilominus posse exigere à debitore suo ; ita etiam si à debitore Procurator constitutus sit ad solvendum in rem suam ; liberum tamen est creditori vel adversus Procuratorem ipsum in rem suam agere, vel si malit adversus ipsum dominum, id est mandatorem *L. 29. Si actor ff. de Procuratoribus* : ad quam species ponenda est ex *L. 2. & 3. ff. familia ercisc.* hoc modo. Nomina ipso jure ex *L. XII. Tab.* divisa sunt inter cohæredes pro partibus hæreditariis, nec veniunt in judicium familiæ erciscundæ : quia tamen hæreditarii æris, sive proprii defuncti, sive alieni exactiones & solutiones pro parte plurima habent incommoda ; Judex familiæ erciscundæ, cujus officium cessat, remedio cessionis actionum statuere potest ex communi consensu cohæredum, ut vel unus ex cohæredibus solidum quod debetur exigat, vel etiam solidum solvat ; libera enim potestas erit cohæredi substituendi suo loco, id est procuratorem constituendi alterum cohæredum ad solvendum suo nomine ; & ita cohæres in quem onus solidæ actionis translatum est, partem solvet suo nomine, partem alieno, id est cohæredis sui nomine : & tamen Procurator in rem suam dicitur in *d. L. 29.* quia cohæres pro

quo solvere tenetur, vicem mutuam ei rependit, & alia pariter onera vicissim in se suscipit in solidum. Vide Cujacium ad *L. 2. § 3. ff. Familia eriscunda.*

Invito itaque, ut diximus, vel etiam ignorante debitore delegatio actionis solet interponi, sive quis fiat procurator in rem suam, sive in rem alienam *L. 3. Cod. de Heredit. vel act. vendit. L. 1. § 3. Cod. de Novatio.* quæ differentia præcipua in Jure observatur inter delegationem actionis & delegationem debitoris. Delegatur autem debitor à creditore duobus modis; vel enim mando debitori, ut alii solvat; vel ut alii promittat. Si ut alii solvat, non novatur prior obligatio, obligatus mandatori remanet, donec solverit: imò ille cui jussus est solvere debitor, non potest novare obligationem *L. 21. ff. de Novatio.* Nec enim semper cui rectè solvatur, is etiam novare potest *L. 10. § 25. ff. de Novatio.* Quando verò delegatur debitor à creditore, ut promittat alteri; per novam stipulationem antiqua obligatio extinguitur & evanescit, & à primo creditore liberatur omnino debitor: imò & eo invito rectè solvet secundo creditori. Hoc verò casu delegatio personæ debitoris jure perfici non potest, nisi stipulante & promittente debitore *L. 1. 3. 4. § 6. Cod. de Novatio. L. ult. ff. hoc tit.*

In qua Lege mirum non est si hujusmodi mandatum valeat, ut quis alteri promittat se post mortem meam aliquid daturum vel facturum: v. g. si quis vivo testatore stipuletur post mortem ejus pecuniam sibi dari; rectè & vivo mandatore, & eo invito, & post mortem mandatoris solvetur, nec morte mandatoris extinguetur hujusmodi mandatum: quod ut diximus, ne quidem à vivente revocari potuit, à quo liberatus fuit debitor, & incipit novo creditore tantum obligari: nec amplius recurrendum est ad mandatum, sed inspicitur tantum stipulatio atque obligatio nova, quæ peremit antiquam. Aliud est si mandem solvi pecuniam post mortem meam: sicut enim mandatum hujusmodi à vivente revocari potest; ita etiam morte mandatarii finitur, licet aliud dictum sit in mandato, ut aperte in *dicta L. ult.* definitur: cujus verba malè Cujacius ait esse transposita *lib. 1. Observatio. cap. 38.*

Nec obstant *L. 12. § ult. L. 13. § 27. § ult. ff. Mandati:* ex quibus generaliter conficere solent, licet regulariter mandatum finiatur morte; nominatim tamen in tempus mortis posse conferri. Respondemus breviter, distinguendum esse inter mandatum solutionis causâ interpositum, quod in datione pecuniæ versatur, & inter mandatum in faciendo, qualia referuntur in *dictis Legibus.* ut post mortem nominatim fiat, ut post mortem fundus hæredibus ematur; vel ut in contractu hujusmodi innominato, do servum ut manumittas post mortem meam. Hujusmodi enim facta post mortem meam impleri possunt; quamvis etiam actâ penitentia à mandatore possint revocari. Ratio differentia. Quæ in datione pecuniæ consistunt mandata, strictissimè solent concludi, quia facile pecunia intervertitur, quam postea à procuratoribus repetere in promptu non est, *arg. L. 68. hoc tit.* Aliud verò in his quæ in facto consistunt, in quibus non est par periculum.

Hactenus de liberis hominibus, quibus mandato speciali interveniente, vel ex præsumpta voluntate creditoris rectè solvi potest; quales diximus.

*Ad. Leg.
ult. Dig.*

*Ad L. 68.
Dig.*

Procuratores, quibus mandato generali libera negotiorum administratio est permessa. Uno verbo procuratores sunt vel speciales, vel generales; specialibus comparamus servos actores & dispensatores, quos nominatim domini præposuerunt exigendis vel credendis pecuniis: generalibus verò actores vel dispensatores servos, qui quidem non specialiter exigendis vel credendis pecuniis, sed super omnes rationes & negotia domini præponuntur. Adjungi possunt institores, qui mercaturis exercendis præponuntur, sive sint liberi, sive servi: itemque filiosfam. vel servi, quibus vel pecuniam simpliciter, vel cum libera administratione est permillum.

*Ad L. 18. 35.
51. 94. §. 3.
Dig. & ad
L. 3. 4. &
19. Cod.*

Et quidem filiosfam. vel servo cui dominus vel pater peculium concessit quasi patrimonium quoddam à suis rationibus separatum, permillum videtur per consequentias, ut ex causa peculiari si quid crediderint, eis rectè solvatur. Imò post venditionem manumissionem servi, vel filiosfam. emancipationem eis rectè debitor solvet, si ademptum peculium ignoraverit; quia sæpe manumissos & venditos servos vel filiosfam. emancipatos sequitur peculium, L. 18. & 35. hoc tit. quæ simul comparandæ sunt. Et quidem in L. 35. in hæc verba: *sed & si quis dominicam pecuniam*, post venditionem & manumissionem rectè solvi ex causa dominicæ pecuniæ, explicandum ex L. 18. *dummodo ignoraverit debitor manumissionem, vel venditionem*: hoc enim casu, quia de dominica pecunia & contractu domini agitur, si non ignoravit manumissum, scire debuit, domino invito cujus tum is servus fuisset, ei solvi. Quod aliter se habet, si ex causa peculiari solvatur: nam imputare sibi debet dominus, qui debitores ex causa peculii certiores non fecerit: justa enim & probabilis ignorantia liberat eos, qui peculium, ut diximus, ademptum fuisse ignorarunt.

Differentia præterea notanda inter servos & filiosfam. qui peculium tantum, & eos qui præterea liberam peculii administrationem habent. Qui tantum peculium; exigere quidem possunt, & eis rectè solvitur: novare, delegare non possunt; dummodo donandi animo vel deminuendi causâ id fiat in fraudem patris vel domini, sicut de Tutoribus & Curatoribus & Procuratoribus diximus, L. 18. 19. in fine & 35. hoc tit. L. 3. & 4. Cod. eodem, L. 48. §. 1. ff. de Peculio. L. 23. & 34. ff. de Novatio. & L. 1. §. 1. ff. *Quæ res pignori*. in qua notandum quod dicitur esse quæstionem facti, an filiosfam. cui libera concessa est peculii administratio, etiam donare possit. Quod plenissimè explicatur in L. 7. ff. de Donationibus, quæ peculium præterea paganicum separat à castrensi vel quasi: nam in castrensibus peculii vel quasi plenam potestatem habent filiosfam. familiarum.

De dispensatore & actore servo sæpiùs in Jure fit mentio, qui Oeconomus servus aliquando appellatur: in nostro verò tit. sæpe, L. 18. 35. 44. 51. 62. 94. §. 3. & L. 19. Cod. hoc tit. in quibus ejus officium describitur in mutuis dandis vel accipiendis pecuniis, vel fœnori occupandis: quare Calendario præpositus dicitur in L. ult. ff. de Rebus creditis. Calendarium verò est liber, quo fœneratiæ cautiones continentur L. 88. Lucius ff. de Leg. 1. ita dictus, quia in singulas Calendaras usuras stipulantur, quia usuræ per partes solutæ duplum sortis excedere poterant veteri Jure L. 10. Cod. de Usuris: quod Justinianus

immutavit *Novell.* 121. 128. & 160. Notandum etiam dispensatorem, & actorem servum appellari, eum qui generaliter vel omnibus rebus domini, vel parti bonorum administrandæ præpositus est: qui multùm differt ab eo actore vel dispensatore, quem diximus præpositum specialiter credendis tantùm vel exigendis pecuniis. Hic enim comparatur Procuratori, qui speciale mandatum habet ad exigendas vel credendas pecunias; ille verò Procuratori, cui generalis & libera vel omnium negotiorum domini, vel partis tantùm administratio commissa est: & quæcunque Procuratori generali homini libero licent, eadem etiam generali bonorum dispensatori conceduntur. Quare non tantùm exigere pecunias, sed etiam novare & juramentum deferre potest; & dolus ejus, sive anterior, id est ante litem contestatam, sive post litem contestatam nocet domino. Vide Cujacium ad §. *Si actoris* L. 5. ff. de *Exceptione doli in Posthumis ad Edictum Pauli*, & lib. 25. *Observationum* cap. 27. & Junge L. 4. §. *Quasitum* 18. & L. 11. ff. de *Exceptione doli*.

Observandum præterea quamvis dispensator & actor præpositus fœnerandis pecuniis, appelletur etiam institor L. 5. §. 1. L. *In eum* §. ult. ff. de *Institoribus*, & L. 37. §. 1. ff. de *Administrat. tutor.* aliam tamen esse causam institoris dominicæ mercis, qui mercaturis redempturisque faciendis præpositus est, & institoris, qui fœnerandis & credendis, vel exigendis pecuniis præpositus est; cujus officium, sicut & cujuslibet alterius procuratoris, morte præponentis finitur: qui verò mercibus exercendis præpositus fuerit institor, ejus officium morte præponentis non extinguitur; imò durare videtur adhuc L. 17. §. 2. & 3. ff. de *Instit. act.* quæ hanc rationem differentiæ addit, *propter utilitatem promiscui usus*, id est commercii, quæ maxima est & publico utilissima in mercibus: nulla similis in pecunia. Quare licet sciveris mortem domini vel tutoris, qui præposuerit institorem; rectè tamen ei solvis, ex causa nempe negotiationis quam exercet: & vicissim institor obligat hæredes defuncti, qui eum præposuit; donec ab hæredibus vel tutoribus pupilli remotus sit ab actu, si nolint ejus opera uti L. 5. §. ult. L. 6. & 7. ff. de *Institoria actio.* qui palam & publicè proscribere debent, vel in taberna vel in loco publico, ne contrahatur cum institore, juxta formam L. 11. ff. de *Institoria actio.* vel nisi specialiter alicui denuntiaverint, ne contraheret cum institore L. 17. §. ult. ff. *eodem*.

Hactenus de iis, quibus ex voluntate vel expressa vel tacita domini rectè solvitur. Si verò ignorante vel invito domino, falso procuratori vel negotiorum gestori aliquis solvat, obligationis liberatio non contingit L. 8. *Cod. de Condict. indebiti*; nisi per subsequentem domini ratihabitionem solutio approbetur. Quid verò sit ratihabitio, quando facienda sit, quis ejus effectus? Item si dominus ratum non habeat, quænam competant actiones adversus falsum procuratorem vel negotiorum gestorem? Itemque quid, si verus vel falsus procurator specialiter datis fidejussoribus, vel simpliciter promiserint, dominum ratam rem habiturum? Quomodo & quot clausulis fiat stipulatio, ratam rem dominum habiturum? plenissimè dicemus; quoniam ad omnes illas quæstiones plurimæ Leges hujus tit. & aliæ pleræque difficillimæ pertinent. Et quidem in hoc tit. L. 12. §. ult. L. 13. & 14. initio, 18. 34. §. 4. 5. & 6. 49. 58.

71. §. 1. & 2. *hoc tit.* & L. 11. & 12. *Cod. hoc tit.* in qua statim hæc regula proponitur: *Qui mandante vel ratum habente domino solverit, non minus liberationem consequi, quam si eidem creditori solvisset.* Et in §. ult. L. 12. & L. 49. *hoc tit.* Sed etsi non vero procuratori solvam, ratum verò habeat dominus quod solutum est, liberatio contingit. Et hoc est quod dicitur in Jure: *ratihabitio comparatur mandato.*

Ad L. 11. §. ult. 38. §. 1. & 54. Dig. & ad L. 11. & 12. Cod.

Ratum verò habet dominus, qui comprobatur agnoscitque quod actum est à falso procuratore: quod fit non tantum verbis, sed etiam actu ipso & re L. 5. & 12. ff. *Rem latam haberi.* A falso, inquam, procuratore vel negotiorum gestore: nec enim opus est ratihabitione domini, quoties vero procuratori qui mandatum habet solvitur: liberatio enim statim contingit; nisi fortè convenerit nominatim in facienda solutione, aut quolibet alio negotio gerendo, quò res tutiore loco sit, ut promittat procurator ratam rem dominum habiturum, L. 11. 12. & 13. ff. *Rem ratam haberi.* Quo casu ipse procurator verus etiam tenebitur ex stipulatione, qui alioqui non teneretur: & qui sibi sic solvi patitur, qui mandatum habet, sibi imputet; nec enim ratihabitio desideratur L. 6. §. 2. ff. *de Condict. indebiti.* Falsus verò procurator vel negotiorum gestor, quamvis non promiserit specialiter dominum ratam rem habiturum; si tamen postea dominus ratum non habeat, tenetur conditione indebiti, seu conditione causâ datâ, vel conditione ob rem: quæ tres conditiones simul concurrunt, & aliquando etiam conditio furti, & actio furti pœnalis, & vindicatio nummorum; si nempe intervertendi animo falsus procurator pecuniam acceperit d. L. 3. *Cod. de Condict. indeb.* L. 14. ff. *de Condictione causa data,* L. 38. §. 1. (ad quam vide Cujacium *Ad Africanum*) & L. 58. *hoc tit.* Quod si de rato stipulationem interposuerit falsus procurator vel negotiorum gestor; perimit hujusmodi stipulatio conditionem indebiti, quia in locum conditionis interponitur hujusmodi stipulatio, quæ utilior est, & cum satisfactione, id est fidejussoribus datis confirmatur, L. *Si sine initio,* & L. 25. *in fine ff. Rem ratam haberi.* Sicut & stipulatio rem pupilli salvam fore succedit in locum actionis tutelæ, & stipulatio de damno infecto in locum Legis Aquiliæ, vel in factum de damno facto; idoque instar actionis habere dicuntur, quia intercedunt ut sit nova actio L. 1. ff. *de Prætoriiis stipul.* Quare hujusmodi stipulationes ex causa principali & secundum naturam actionum, in quarum locum substituuntur, interpretationem recipiunt.

Notandum etiam in Legibus citatis & plerisque aliis, quamvis procurator propriè dicatur, qui mandato interveniente constituitur; impropriè tamen procuratoris nomen sæpe tribuitur vel falso procuratori, vel negotiorum gestori, ut in L. 34. §. 4. & 54. §. 1. *hoc tit.* L. 22. & L. ult. §. 1. ff. *Rem ratam haberi.* Aliquando etiam differentiæ causâ voluntarii procuratores appellantur, qui sine mandato ultrò se offerunt alienis negotiis; qui semper cavere debent dominum ratam rem habiturum. Vide Cujacium *lib. 7. Observatio. cap. 26. in medio ex sententia Pauli.*

Procuratores veri sunt, de quibus supra tractavimus, quibus nempe vel expressa, vel tacita seu præsumpta domini voluntate solvitur; à quibus ratihabitio non exigitur: nec tamen idèò adversus illos ulla conditio

vel repetitio pecuniæ solutæ competit *d. L. 12. hoc tit. & L. 6. ff. de Condict. indebiti*. Quia tamen sapissimè de mandato dubitari potest, maximè in procuratoribus absentium, licèt revera mandatum habeant; meritò à veris procuratoribus sæpe exigitur stipulatio, *ratam rem haberi*, quæ interponi solet vel autoritate Prætoris in constituendo iudicio ante litis contestationem, vel etiam sine iudicio ex conventionem partium: hæc conventionalis est; illa partim judicialis, partim etiam prætoria *L. 10. 11. 12. & 22. ff. Rem ratam haberi, Institut. de Divisione stipulat. in fine*, juncto Theophilo, ubi Interpres labitur, qui omisit vocem, absentis. Exemplum autem ponit Theophilus in procuratore absentis, à quo Judex datus ut procedat iudicium, exigit satisfactionem ratam rem dominum habiturum, quam recusare non potest; procurator præsentis potest *L. 65. ff. de Procuratoribus*, ibi: *velut præsentis Procuratorem, L. 21. ff. Ratham rem haberi, L. 1. & 2. Cod. de Consortibus litium, L. 1. Cod. de Satisfactionibus, & §. Sin autem, Institut. de Satisfat.* Quibus etiam locis proponuntur excogitatæ à Jurisconsultis cautiones, sive *εὐρίματα*, ut expediant quibus casibus procuratores absentium per dominos possint relaxari satisfactione *ratam rem haberi*.

Et quidem res ita se habet. Generaliter verbis Edicti, qui alieno nomine agit, ratum eum habiturum, ad quem ea res pertinet, satisfacere tenetur *L. 33. §. Ait Prætor, & L. 39. §. 1. ff. de Procuratoribus*, Paulus lib. 1. *Sententiarum tit. de Procuratoribus*, in *Sententiis de novo editis d. lto lib. 7. Observat. cap. 26. §. Tutores & Curatores, Institut. de Satisfat. & L. un. Cod. de Satisfando*. Primò procuratores præsentium exonerati sunt: & deinde ita Prætoris Edictum acceptum est, ut quoties de mandato non dubitatur, toties cesset satisfactio de rato *L. 1. Cod. de Procuratoribus*, cujus autor est D. Pius, quem etiam significare videtur Ulpianus in *§. 2. Si procurator L. 3. ff. Ut in possessionem legatorum*. Jurisconsulti tamen generalia verba Constitutionis Divi Pii ita restrinxerunt, ut quamvis revera absentis procurator mandatum habeat, verumtamen meritò dubitetur ab eo, cum quo agit procurator, de fide mandati, nisi certis casibus teneatur satisfacere de rato.

Primò occurrit in *L. 69. ff. de Procuratoribus*, si dominus literis ad adversarium datis significet, quem procuratorem & in quam causam fecerit, ratumque promiserit se habiturum quod cum suo procuratore actum erit: hoc enim casu literis approbatis, velut præsentis procurator intervenire intelligendus est.

Secundò si libello Principi oblato professus fuerit se fecisse procuratorem *L. 21. ff. Ratham rem haberi*; vel apud acta Præsidis vel Magistratus, id est Duumviri constitutus sit procurator *L. un. Cod. de Satisfando*. Paulus lib. 1. *Sententiarum tit. de Procuratoribus initio*; vel præsens in iudicio dominus litis procuratoris sui personam confirmaverit *§. Sin autem per Procuratorem, Institut. de Satisfatio*. itemque si in compromisso exprimat per procuratorem apud arbitros litigatum iri, stabitur compromisso, nec exigetur satisfactio *ratam haberi* à Procuratore *L. Non distinguemus §. penult. ff. de Arbitris*.

Postremò in casu *L. ult. Cod. de Pactis conventis super dote*, in exercendis acti onibus, quæ descendunt ex cautionibus, sive nominibus para-

phernalibus. Nam quæcunque nomina apud maritum mansisse, & ei ab uxore tradita fuisse instrumento dotali comprehensum est; hoc certè casu nulla rati habitio uxoris à marito peti potest, de cujus mandato tacito, quod instrumentis dotalibus expressum præsumitur, dubitari non possit. In reliquis paraphernalibus, quæ marito tradita non fuerunt, tenetur satisfdare maritus, sicut extraneus quilibet, uxorem ratum habituram *L. 21. Maritus Cod. de Procuratoribus.*

His autem omnibus casibus, quibus procurator relevatur satisfdatione *ratam rem haberi*; tenetur tamen satisfdare *judicatum solvi*, & *de re defendenda arbitrati boni viri*, & mutuas petitiones excipere, v. g. in duplicibus judiciis familiæ erciscundæ, communi dividundo, *L. 21. ff. Rem ratam haberi, d. L. un. Cod. de Satisfdando, L. pen. & uli. ff. de Procuratoribus.* Formulam autem stipulationis *judicatum solvi*, & clausulam *de re defendenda* descripsit Cujacius *lib. 10. Observat. cap. 29.*

Exonerantur etiam satisfdatione *rem ratam haberi* Tutores, Curatores, Syndici universitatum, & reliquæ personæ, quæ numerantur in *L. 9. ff. Rem ratam haberi*, in qua antiquam esse vocem, *Magistri universitatis*, agnovit tandem Cujacius ad *Cod. in explicatione d. L. 9.* (significat autem Primatem Collegii, Ordinis vel Corporis;) nec esse à manu Triboniani, ut ni *Paratitulo Digestorum* scripserat *tit. de Administratione rerum ad civitatem pertinentium*. Multò minus de veteri Magistro bonis vendendis intelligi debet, junge *L. 23. ff. de Administrat. Tutor. L. 6. §. 3. ff. Quod cujusque universitatis, & §. Tutores Instit. de Satisfdatio*. Ratio hæc est, quia Actores & Syndici universitatum, Magistri Collegiorum solent publicè & ex decreto Civitatum vel Collegiorum constitui; adeò ut vix dubitari possit de eorum potestate: tutores autem & curatores vice dominorum habentur, & injuncto eis publico munere tutelæ vel curationis, sicut persona ita & res omnis pupilli atque actiones ei commissæ censentur, nisi tamen de hujusmodi personarum officio & potestate justa ex causa dubitetur, v. g. in tutore an cesset tutela, an actus & gestus sit ei commissus *L. 23. ff. de Administrat. tutor.* Actor autem à tutore datus cavet omnimodò *L. 9. ff. Rem ratam haberi*, sive de Tutoris potestate dubitetur, qui eum præposuit, sive non: itemque sive de ejus mandato dubitetur, sive non. Ex quibus corrigenda & explicanda nota prior Cujacii ad *§. Tutores, Instit. de Satisfdat.* Idem dicendum de *Procuratoribus*, sive constet de mandato, sive non, id est teneri de rato. Nec enim eos teneri dicimus, si constet de mandato, juxta modos certos tamen quos sigillatim explicavimus. Quare in nota posteriori ab eundem §. ipse Cujacius sententiam mutat tacitè ex *L. 3. §. si Procurator ff. Ut in possessionem legatorum seu fideicommissorum servandorum causa esse liceat.*

Superest ut de satisfdatione *ratam rem haberi* tractemus, quæ non tantùm exigitur à falso procuratore, negotiorum gestore & omnibus, qui ultrò se omnibus negotiis alienis offerunt, sed etiam à vero procuratore, qui vel sponte eam promittit, vel coactus; quando scilicet justa causa dubitandi occurrit. Satisfdationis de rato formula ita potest concipi: *Quas res vel pecuniam in nomine Lucii Titii à me petis, amplius eo nomine petiturum neminem, cujus de ea re vel pecunia actio & petitio & persecutio sit*

fit: idque ratum habiturum Lucium Titium heredemque ejus, aut eum ad quem ea res pertinebit, de qua agitur, dolumque malum abesse abfuturumque, aut quanti ea res est tantam pecuniam dare spondeo. Spondeo. Tres diversas clausulas continet. 1^a. *Amplius non peti.* 2^a. *Ratam rem dominum habiturum*, à qua parte velut præcipua nomen accepit ista satisfactio. 3^a. quæ & communis erat aliarum satisfactio, *dolum malum abesse*. Conclusione verò & clausula generali firmantur & muniuntur tres præcedentes, *quanti res illa erit*. Composita autem fuit hæc formula à Jurisconsultis partim ex Edicto Prætoris, partim etiam Jurisconsultorum cautione & prudentia; ad quos sicut & Legum interpretatio, ita & compositio formularum stipulationum, contractuum, testamentorum & reliquorum negotiorum deferebatur, L. 33. §. *Ait prætor*, & L. 39. §. 1. *cum sequentibus ff. de Procuratoribus*, L. 2. 3. & 8. §. 2. L. 12. §. 1. & ultimo, junctâ L. 23. ff. *Rem ratam haberi*: ad quæ duo loca postrema dominus Cujacius in *Recitationibus* illam formulam satisfactio, qualem supra descripsimus, proposuit.

Nec dubito tamen alias clausulas ex communi consensu partium inferri posse; quod & aliquando necesse est, ut in eleganti specie L. 3. ff. *Rem ratam haberi*, in qua tractatur de Procuratore minoris viginti quinque annorum: non refert verus an falsus procurator fuerit, qui debitas minori pecunias exegerit. Potest enim minor, sicut exigere sibi debitas pecunias, ita & procuratorem ad exigendum constituere; quamvis in litem non possit dare procuratorem, sicut nec ipse litigare, nisi curator interveniat L. *Neque Cod. de Procuratoribus*. Ab utrisque Procuratoribus ponamus exactum fuisse à debitore extra judicium, & in solutione facienda intervenisse satisfactio, dominum ratam rem habiturum. Quæritur quid si minor ratam solutionem habeat vel expressè, vel actu & re pecuniam ad se delatam receperit à procuratoribus, eamque postea consumpserit; deinde restitutionem in integrum obtinuerit tam adversus solutionem quam satisfactio; quæ jure competit tam minori quàm ejus hæredibus: utrùm debitor qui solvit, possit agere adversus Procuratorem verum vel falsum, qui suo nomine satisfecerunt ratam rem minorem habiturum. Et quidem negat Papinianus procuratores teneri: satisfecerunt enim promissioni suæ. Quare prudentiùs facturos ait debitores, si vulgari stipulationi de rato, hanc præterea specialem clausulam adjungant: *Si minor in integrum restitutus fuerit hæresve ejus, aut is ad quem ea res pertinebit*. Vide omnino Cujacium lib. 24. *Observat. cap. 28.* junctò eodem in *Recitationibus ad d. L. 3. ad Papinianum*, ubi rectè postrema hæc verba d. *Legis 3. si non conveniat*, refert ad procuratorem falsum tantùm, & ad vulgarem conventionem de rato tantùm, id est si qui solvit falso procuratori minoris, à procuratore non exegerit vulgarem satisfactio; tunc si postea minor ratam non habuerit solutionem, dabitur actio. Quanam actio? An ex stipulatione? Revera non potest, quia nulla stipulatio fuit interposita de rato. Per actionem itaque intellige conditionem debiti, quæ datur semper adversus falsum procuratorem, vel negotiorum gestorem ex æquo & bono, quoties dominus non comprobaverit solutionem.

His ita constitutis, lux affulget plerisque Legibus hujus tit. superest ut

explicemus, quis ratum habere possit, quo tempore, & quis sit ratihabitationis effectus. Et quidem diximus in vero procuratore superfluum esse ratihabitationem: statim enim liberatio contingit, siue debitum siue indebitum exegerit; dummodo ex speciali mandato exigatur indebitum: nec dabitur adversus verum Procuratorem condictione indebiti debitori. Quod si quis indebitum solvit, & agat condictione indebiti adversus procuratorem, frustra agit, nempe incompetenti actione: nec tamen ideò adversus mandatorem causa cadit, sed iterum adversus eum utiliter condictionem indebiti poterit instituere. Nec enim qui incompetenti actione agit, prohibetur iterum actione competenti agere; siue de Jure Civili siue Canonico quaeratur *cap. Examinata extra de judiciis*: quod aperte dicitur in *L. 57. ff. de Condiotione indebiti*. Quod si falso procuratori, vel negotiorum gestori solutum fuerit debitum vel indebitum, competit indebiti condictione debitori adversus eum: imò & adversus verum Procuratorem, qui tantum generale habet mandatum, si fortè indebitum exigat; quia non praesumitur ei mandata indebitae pecuniae exactio, sed debita tantum. Illis tamen omnibus casibus ratihabitio liberat eos condictione indebiti, & eam transfert in ipsum mandatorem, perinde ac si ab initio mandatum intervenisset. Nam & in indebiti exactioe ratihabitio conciliat tibi negotium, quod ab initio tuum non erat, sed tua contemplatione gestum: & hoc est quod dicitur, *ratihabitationem retrahere*, nempe ad tempus quo solutio est facta, & *mandato comparari*, *L. 6. §. 4. & §. 100. ff. de Negotiis gestis*, *L. 14. ff. de Condiotione causa data*, *L. 6. & 57. ff. de Condiotione indebiti*, *L. 12. §. ult. §. 8. & 68. hoc tit. L. 16. & 22. ff. Rem ratam haberi*.

Hic praeterea ratihabitationis effectus notandus, ut tam veros quam falsos procuratores à satisfatione *ratam rem haberi* eximat: & praeterea falsos procuratores & negotiorum gestores liberet condictione indebiti; quae adversus veros procuratores non competit. Poterit objici: cui bono desideretur à vero procuratore satisfatio *ratam rem haberi*, cum necessaria non sit ratihabitio ejus quod gesserit? Respondemus, notandum in satisfatione *ratam rem haberi* tres clausulas contineri, clausulam *de rato*, clausulam *amplius non peti*, & clausulam *de dolo*. Itaque si quid dominus tergiversetur, & injustam litem suscipiat; committetur stipulatio adversus verum procuratorem in vim secundae clausulae *amplius non peti*. Generalia autem verba Sanctionis & conclusionis, *quanti ea res erit*, efficiunt, ut non teneatur in solidum procurator, sed in litis impensas tantum, *quod litigat, quod consumit, quod advocat*, *L. 18. ff. Rem ratam haberi*, & *L. Si sine §. 1. & 5. ff. eodem*; quia agentis amplius non interest, siue dominus damnatus sit, ut oportuit; siue per injuriam Judicis debitor iterum solvere damnatus sit: quo casu procurator qui satisfecit, & ejus fidejussores non tenebuntur ultra litis impensas; sed debitor solus jacturam facit, & penes eum manet injuria, quam ad alium transferri æquum visum non est *L. 22. §. 4. ff. Ratam rem haberi*, *L. 67. ff. de Fidejussoribus*, & *L. 51. ff. de Evictio*. Qua de re vide Cujacium ad *L. 2. ff. Rem ratam haberi in Responsis Papiniani*, & ad *d. §. 4. Cum Procurator d. L. 22. eodem tit. ad Julianum*, in qua Recitatione corrigere mendum ibi: *injuriam enim procuratori factam; reponere, de-*

bitori, cui revera fit injuria, quia bis solvere cogitur. Superest itaque tantum actio quasi ex delicto, si per imprudentiam; vel ex delicto, si per sordes vel dolum, adversus Judicem qui malè judicavit, *Instit. in pr. de Obligatio. quæ ex quasi delicto*, L. 5. §. 4. ff. de Oblig. & actio. & L. 5. & ult. ff. de Variis & extraord. cognitionib.

Diximus autem dominum seu mandatorem, vel eum cujus negotium gestum, vel heredem ejus, aut eos ad quos ea res pertinet, ratum habere posse; qui & contineri solent & continentur solemni formula satisfactionis: idque confirmatur L. 18. 22. §. 7. & 23. ff. *Ratam rem haberi*; dummodo eo tempore quo ratum habent, eis solvi rectè possit, & adhuc debeat, & jus eis competat: alioqui si quid novi medio tempore inter solutionem factam & ratihabitionem intervenerit, quod immutaverit statum domini vel actoris, vel obligationem aut jus; tunc ratihabitione non poterit retrahi, nec comparabitur mandato. Non tamen impediatur ratihabitione, si procuratori vero vel falso post solutionem ante ratihabitionem aliquid simile acciderit L. 47. & 48. ff. de Acquir. hered. L. 58. §. 1. hoc nostro tit. & L. ult. §. 1. ff. *Rem ratam haberi*. Cui §. si objicitur §. 1. L. 71. hoc tit. respondendum in ejus specie proponi non reum principalem, sed fidejussorem tantum liberatum fuisse, qui v. g. ad tempus fidejusserat; quia principalis obligatio durabat, in quam soluta pecunia imputatur, à creditore præsertim accepta; quia fidejussor solvisse proponitur adhuc eo tempore, quo tenebatur obligatione. Itaque non potest condicere pecuniam tanquam indebitam, licet tempore ratihabitionis liberatus sit fidejussor ab obligatione, sed applicatur liberationi Rei principalis: quare fidejussori adversus eum datur actio mandati. In §. verò 1. d. L. ult. Reo principali liberato semel, omnis obligatio perimitur, nec potest dici ad alicujus liberationem profecisse. Quare à procuratore, qui exegit, vel per conditionem indebiti, si nulla satisfactio *ratam rem haberi* sit interposita; vel si cavit, actione ex stipulatu, quæ in locum conditionis indebiti institui solet, soluta pecunia repetitur.

Pertinet autem potissimum tractatio de ratihabitione & satisfactione de rato ad eos, qui sine mandato alicujus negotiis ultrò se offerunt: necessaria enim semper in eorum persona domini ratihabitione est. Observandum tamen in Legibus citatis & plurimis Juris locis procuratores eos appellari; itemque incertum esse aliquando etiam ante ratihabitionem, utrum conditio indebiti competat debitori, qui nondum liberatus est, adversus negotiorum gestores, quibus solvit L. 58. §. 2. & L. 71. §. 2. hoc tit.

Quia verò ratihabitione non tantum extinguit conditionem indebiti, sed etiam stipulationem *ratam rem haberi*: quaeritur sæpe, quando & intra quod tempus dominus ratum habere debeat quod gestum est. Et quidem si nominatim nullum tempus præstitutum est ratihabitioni in facienda solutione, cum primum certior factus est dominus, ratum habere debet. Hæc verba, cum primum, statim & confestim, sæpe in Jure nostro aliquam dilationem admittunt, aliquando nullam. In hac quaestione Julianus ait accipi, *ὡς μάται*, id est latè sumi L. 13. Dig. hoc tit. & L. 12. §. 2. ff. *Rem ratam haberi*: qua etiam forma usurpantur in L. penult. ff. de Condict. tritic. & L. 28. Si arbiter ff. de Probatio. quod in aliis

Ad L. 19.
L. 58. 71. §.
1. 2. & 3.
Dig.

Legibus *ἀγλαῖος* dicitur, ut in *L. 2. ff. ad SC. Tertylia.* id est late & extensivè. Præterea in *d. L. 13. ff. hoc tit.* ad interpretationem horum verborum: *Sicut in legato, cum de repellendo quæreretur, spatium:* ponenda est *L. 1. §. 8. ff. ad L. Falcidiam,* ubi agitur de *penn. legata.* Cum primùm itaque hîc accipimus cum quodam spatio temporis, quod nec maximum sit nec minimum, & magis intellectu percipitur quàm oratione possit exprimi; quamvis regulariter in obligationibus quibus dies non apponitur, præsentî die debeat *L. 4. §. 1. ff. de Verb. oblig. & L. 14. ff. de Reg. jur.* Et ita sæpe in Jure quando usuræ dies apponitur, breve tamen temporis spatium & induciæ conceduntur *L. 21. §. Si sine ff. de Constit. pecunia.*

Ulpianus in *L. 58. hoc tit.* Juliani autoritate utitur, & ex eo quærit nunquid ante ratihabitionem domini statim competat debitori condictio indebiti adversus negotiorum gestorem. Et ita distinguit: vel eo animo & mente solvit debitor, ut statim liberetur; quo casu statim etiam poterit condicere: quæ condictio tamen si postea dominus ratum habuerit, solutione extinguetur: aut nominatim in solutione dictum, ut liberaretur debitor, cum dominus ratum habuisset; ita ut nisi ratum haberet, condiceretur negotiorum gestori, ut in *L. 14. hoc tit.* quo casu non statim condictio competit adversus gestorem negotiorum, sed ita demum cum tantum temporis effluxerit, intra quod ratum habere potuerit dominus, nec tamen ratum habuerit. Quin & ab ignorante domino post litem contestatam cum debitore, ratum haberi potest *L. 71. §. ult. hoc tit.* Ratum autem non habet dominus, qui qualiter eundem actum retractet, qui à procuratore actus est; sicut contra ratum habere potest vel re ipsâ vel verbis *L. 5. L. 12. §. ult. & L. 15. ff. Ratam rem haberi.*

Notandum præterea in *§. 2. d. L. 12.* in quo referuntur eadem verba Juliani, quæ in *L. 13. hoc tit.* quære Ulpianum, si dominus posteaquam certior factus est, improbaverit exactorem pecuniæ factam à negotiorum gestore, deinde verò mutata sententia eam ratam habuerit; utrum ratihabitio ista proficiat negotiorum gestori, qui satisfecit ratam rem dominum habiturum, ut se tueatur adversus debitorem agentem ex stipulatu. Et quidem certum est stipulationem commissam fuisse, & ratam esse actionem ex stipulatu: verum est enim semel dominum non habuisse ratum ab initio. Quia tamen postea dominus ratum habuit; sicut quæ adversus debitorem competit, indebiti conductionem extinguit ratihabitio, etiam, ut diximus, post litem ab ignorante domino contestatam subsequuta, *L. 58. & 71. §. ult. ff. hoc tit.* quod condictio indebiti descendat ex æquitate naturali, ne quis ex alterius damno lucretur; nec intersit ampliùs debitoris, cui ratihabitio domini liberationem parit: ita etiam & hoc casu per exceptionem doli actionem ex stipulatu elidit, quæ in locum conductionis indebiti solet interponi *d. L. ult. §. ult. ff. Ratam rem haberi;* cum præsertim in stipulatione *ratam rem haberi* clausula de dolo inferi solet.

Ad L. 32. &
L. 62. Dig.

Objicitur *L. Dispensatorem 62. hoc tit.* in cujus fine hæc species proponitur. Dispensator servus, cui testamento domini libertas simul & peculium legatum fuerat, morte domini dispensatione finita, nihilominus ante aditam hæreditatem exegit pecuniam à debitoribus hæreditariis: (aliud

in debitoribus peculiaribus, qui indistinctè rectè solvunt servo, cui peculium legatum fuit; nec ideo hæredi vel adversus servum, vel adversus debitores ulla competit actio, sive ante sive post aditam hæreditatem solverint *L. 32. & 51. hoc tit.*) liberatos autem non fuisse debitores hæreditarios proponitur, qui fortè mortem domini non ignoraverint juxta *d. L. 32. & 51.* Itaque eo casu si domini hæres ratum non habuerit quod à servo exactum est, debitor obligatus remanet, & iterum ab eo peti potest. Si verò statim atque certior factus est hæres, ratam habuerit exactorem factam à servo hæreditario, liberabitur debitor; & adversus servum post aditionem hæreditatis liberum factum negotiorum gestorum dabitur hæredi actio, quam ei acquirit rati habitio. Itaque electio competit hæredi, utrùm velit agere adversus servum qui exegit, vel utrùm adversus debitorem qui liberatus non fuit, solutione rectè non facta. Licet ne verò variare hæredi, id est postquam improbaverit solutionem servo factam, & ita sustulerit omnem spem actionis negotiorum gestorum adversus servum, quæ erat in pendentibus & ex rati habitio nasci poterat, mox comprobare sive ratam habere solutionem; maximè ubi paratus est cavere indemnem servum futurum adversus debitorem hæreditarium, & per consequens liberatum iri conditione indebiti, quæ debitori supererat? Respondet Paulus in *d. L.* non posse ampliùs variare hæredem: solam ei superesse actionem pristinam adversus debitorem qui liberatus non fuit, ut diximus: quæ est sententia ultimorum verborum *d. L. & per hoc debitor mihi constituitur*; id est quia non prodest rati habitio, nempe post retractationem præcedentem, quæ impedit spem actionis negotiorum gestorum adversus negotiorum gestorem; superest hæredi antiqua actio adversus debitorem hæreditarium. Ratio hæc est: injustum videtur arbitrio hæredis permitti, modò repudiare, modò repudiatam admittere negotiorum gestorum actionem adversus eum qui negotium ejus gessit. Hujusmodi quidem variatio favore liberationis contra regulas Juris sustinetur, & parit exceptionem reo in specie *d. L. 32. adversus creditorem*; ad extinctam verò semel actionem restituendam non valet *L. Qui res 98. §. ult. ff. hoc tit.* Quin & ubi de obligando quæritur, propensiores ad negandum esse debemus; si occasionem habeamus *L. Adrianus ff. de Oblig. & ult. Dig.*

Eget præterea interpretatione quod dicitur in *d. L. 62.* si dispensator servus ante aditam hæreditatem exegerit debitores defuncti, qui liberati fuerint illa solutione, quam ignorantes mortem domini fecerint; hoc casu teneri eum actione de peculio hæredi quasi negotiorum gestorum vel mandati actione. Si eidem dispensatori libero factò ab ignorantibus etiam debitoribus solutum fuisset; revera locus non erat actioni de peculio, sed vel actio negotiorum gestorum vel mandati ei & adversus eum competeret, perinde atque adversus quemlibet hominem liberum negotiorum gestorem. Itaque videmus interesse plurimùm in negotiorum gestione, sicut & in quolibet contractu, initio cujusque temporis conditionem cujusque personæ spectare. Pro qualitate enim personarum & actio formatur, & condemnatio moderatur *L. 15. ff. de Negotiis gest.* præsertim quando separari potest negotium, quod in servitute gestum est, à negotio quod in libertate, nec sunt connexa *L. 17. ff. eodem*: sicut in

specie proposita facile distingui possunt solutiones diversæ diversis temporibus factæ ; aliæ adhuc servo factæ ; aliæ post libertatem , ut & Jurisconsultus rectè distinguit. Dari verò dicitur actio de peculio vel in peculium : quamvis enim sit in personam , rem tamen , id est ipsum peculium sequitur ; & per consequens in specie d. L. sequitur manumissum , quia ei legatum fuit peculium : alioquin servus , cui est ademptum peculium , manumissus postea non tenetur de iis omnibus quæ gessit in servitute L. 17. initio ff. de Negot. gest. Additur tamen esse de peculio quasi negotiorum gestorum vel quasi mandati actionem. Nomen actionis de peculio est generale : determinatur tamen secundum naturam & regulas contractuum & negotiorum , quæ causam & originem dederunt actioni de peculio. Ex quibus enim causis homines liberi teneri solent , ex iisdem servi de peculio tenentur ; & generalis actio de peculio denominatur ex specialibus contractibus : & hoc est quod dicitur , in L. 49. ff. de Peculio , utrum servus teneatur de peculio , ex causa civili comparandum esse.

Adversus liberum hominem , qui negotium gessit , ut in proposita specie L. 64. sine mandato meo , dicitur vel negotiorum gestorum vel mandati actio competere , suis nempe casibus , non simul ; negotiorum gestorum , si dominus ratum non habuerit quod gestum est ejus contemplatione , & quod ejus proprium erat negotium , v. g. si ei debita pecunia exacta fuit : mandati verò , si ratum habuerit quod gestum est dominus. Tunc enim quando meum negotium gestum est , licet non mandaverim , sufficit si postea ratum habeam & comprobem : ex hujusmodi enim ratihabitione actio mandati ultro citroque competit. Itaque in arbitrio est domini , utrum velit agere negotiorum gestorum simpliciter , quia nullum mandatum dedit , vel utrum mandati ; quod poterit si ratum habeat quod gestum est : tunc enim ratihabitione retractabitur & comparatur mandato. Ubi tamen unam elegerit , non poterit amplius alteram agere : & utique vice versa ille qui gessit negotium proprium domini ante ratihabitionem , potest agere negotiorum gestorum tantum. Licet enim dominus recuset comprobare ; tamen quod utiliter gestum erit , apud Judicem pro rato habebitur L. 9. ff. de Negotiis gest. Quod si dominus ratum habeat quod sine mandato gestum est , mandati actione obstringetur L. 12. in fine & d. L. 62. ff. hoc tit. juncta L. 15. ff. de Exceptione rei judic. & L. 60. ff. de Reg. Jur.

Nec obstant L. 6. §. 9. & 10. & L. 9. ff. de Negot. gestis , quæ negotiorum gestorum tantum actionem concedere videntur. Nam observandum in his Legibus non fuisse gestum proprium negotium domini , sed alienum , v. g. indebitam pecuniam exactam , vel alterius quam domini negotium gestum , vel quod malè gestum fuit , & ex quo nasci non debet negotiorum gestorum actio , ut in L. 9. His casibus licet ratihabitione domini sequatur , non comparabitur tamen mandato , nec dabitur actio mandati : ad id enim tantum præsumitur interposita à domino , ut negotium quod suum non erat , per ratihabitionem suam faceret ; non autem ut præterea mandatum constitueret nominatim. Uno verbo istius ratihabitionis duplex effectus esse non potest , & conciliandi negotii quod suum non erat , & præterea obstringendi domini actione mandati : ita-

que actio negotiorum gestorum superest. Quoties verò meum negotium gestum est sine mandato, utiliter tamen, statim nascitur, ut diximus, actio negotiorum gestorum etiam adversus absentem & ignorantem dominum, utilitate publica suadente *d. L. 9. ff. de Negor. gest. §. 1. Instit. de Obligatio. qua quasi ex contractu.* Quod si præterea sponte dominus ratum habeat quod gestum est, ratihabitio mandato comparabitur, & retrahetur, perinde ac si tibi ab initio mandatum dedissem & te constituissem procuratorem. Itaque mirum non est, si hic effectus tribuatur tantùm ratihabitio mei negotii: quam sententiam tandem Dominus Cujacius veram esse agnovit ad *d. §. 9. & 10. L. 6. ff. de Negot. gestis ad Julianum*: aliter quàm senserit ipse ad *L. 60. ff. de Reg. juris.*

Postremò de falso procuratore & negotiorum gestore supersunt explicandi §. 4. *Si nullo, & duo sequentes L. 34. hoc tit.* Primò si debitor falso procuratori solverit, quem verum esse existimabat, non liberatur, nec ei prodest levis quælibet opinio & persuasio, cautiùs negotiari debuit; aliter atque accidit in eo, qui ei solvit qui aliquando fuit verus procurator cum mandato: cujus ignorantia probabili parcitur, si post mortem domini vel revocationem mandati bona fide ignorans solverit. Comparatur autem debitor, qui falsò procuratori vel negotiorum gestori solvit, quos mandatum habere sibi temerè persuaserat, emptori qui à fugitivo & fure cum pro libero ageret, rem domini comparaverit; cum fugitivum liberum esse existimaret, eique solvit pretium rei venditæ: nec enim à domino liberatus intelligitur. Manet quippe res vendita domini: nec enim fugitivus qui sui furtum facit, nec fur quilibet potest dominio rei privare verum dominum. Itaque non obstante solutione facta servo, poterit dominus agere adversus emptores rei vindicatione: nec enim domino, cum retineret dominium rei venditæ, potest acquiri actio exempto; & per consequens pretium servo numeratum domini non fit, nec liberatur emptor.

Objicitur *L. Fugitivus 19. ff. hoc tit.* in qua qui mutuam pecuniam accipit à fugitivo eique solvit, liberatur, nec domino actio superest; quia domini nummos factos fuisse intelligimus: cui etiam ponendum est acquisitam fuisse actionem. Ratio differentia inter venditionem & mutuum ponenda est: qui sumit pecuniam mutuam, eo esse solet animo, ut statim bona fide eam consumat, & in usus suos eroget atque impendat, non ut eam servet. Hujusmodi verò consumptione nummorum bona fide facta, mutuum datum à fugitivo, quod ab initio non constiterat, conciliatur postea, & acquiritur actio ex mutuo domino fugitivi *L. Rogasti §. ult. ff. de Reb. cred.* Et per consequens acquisita actione per fugitivum ex post factò post consumptionem, & solutione facta; nummi soluti domini facti intelliguntur, & actione ex mutuo liberatur debitor. Ante consumptionem nummorum factam bona fide à debitore, non consistit mutuum, quia fugitivus eos non fecit creditoris: quare extantes apud debitorem vindicari possunt; quod, ut diximus, rarissimè accidit in mutua pecunia. Aliud in emptione: qui enim emit, ut rem emptam retineat & servet, augeatque patrimonium suum, idè comparat. Quare in *d. §. Et cum fugitivus*, ex eo quod plurimum fieri solet, ponendum

*Ad L. 34. §.
4. 5. & 6.
Dig.*

*Ad L. 19:
Dig.*

est rem subreptam extare apud venditorem, & per consequens à domino vindicari posse. Nec solutio pretii servo facta emptori prodest; quia nunquam constitit emptio. Quod si objicias emptorem iterum rem illam vendidisse: eadem supererit differentia. Usus enim nummorum abusus est, & assiduo usu quodammodo interire intelliguntur, *L. 2. §. 5. ff. de Usuf. ear. rer.* aliæ verò res & corpora, licet mutent possessores, dignosci & designari possunt, & per consequens à quolibet possessore facile revocari per vindicationem *L. 6. ff. de Rei vindicat.* Junge Cujacium ad *d. L. Rogasti §. ult. in Postumis*, & ad edictum *Juliani in explanatione §. Et cum fugitivus d. L. 34. hoc tit.*

In §. etiam *6. d. L. 34. de negotiorum gestore & procuratore voluntario* agitur, in quo hæc species proponitur. Solutio matrimonio per divortium, gener focero dotem solvit, non adhibito filia consensu, quæ in potestate constituta erat; maritus dicitur non esse liberatus: iterum potest agere filia de dote; condicere tamen maritus poterit focero, id est marito superest condictio indebiti, vel sine causa, adversus focerum, quia liberatio non est secuta, propter quam solutio facta fuit. Si tamen postea filia ratam habeat solutionem, liberabitur gener, & per consequens extinguetur condictio indebiti, sicut diximus de negotiorum gestore, cui debitor solverit. Et quidem Julianus ait propemodum similem esse generum debitori, qui solvit absentis procuratori, voluntario scilicet, id est negotiorum gestori sine mandato, quem sæpius absolute & improprie procuratorem in Jure appellari diximus. Ait, *propemodum*, quia gener qui solvit focero, ei solvit qui socius est & particeps obligationis: communis est enim actio de dote inter patrem & filiam: qui verò solvit procuratori qui mandatum non habet, ei solvit qui nullum jus habet, qui plane alienum negotium gerit. Inter patrem enim & filiam actio de repetenda dote, sive sit profectitia, sive sit adventitia, communis est; sive solvatur divortio matrimonium, sive morte mariti; sive quaratur de jure antiquo *L. 34. ff. Solutio matrimonii*, sive de novo. Nam filii familias vel filia familias sine patre, vel pater sine filia ex causis adventitiis actiones movere non possunt, *L. ult. §. Ubi autem 3. Cod. de Bonis qua liberis*: & in casu dotis expressa est *Lex unica §. 14. Cod. de Rei uxoria act.* ut rectè observavit Cujacius ad *Africanum ad d. L. 34. ff. Solutio matrimonii*. & iterum in *Paratitulo Cod. de Rei uxoria actio*. Vide omnino eundem in *Postumis ad §. Accedit 13. & ad seq. §. Cod. de Rei uxoria act.* quamvis postea ad *Julianum* aliter senserit in interpretatione *nostri §. Si gener*: Nempe denegat eo loci repetitionem dotis adventitiæ patri, licet filiam habeat in potestate. Jure quidem veteri dos adventitia, sicut & profectitia, communis erat patris & filia, etiam quoad proprietatem: hodie verò ex constitutionibus dos adventitia, sicut & reliqua bona adventitia, ipsius filia propria sunt jure domini, non autem communia patris & filia; quamvis repetitio dotis utrique conjunctim & simul competat. Quod si filia fuerit emancipata, indistinctè sive sit profectitia sive adventitia, solius filia erit actio: nec opus est patris consensum adhibere *L. Si cum dotem 22. §. Eo autem ff. Solutio matrimonii*. Si tamen dos fuerit profectitia; quamvis filia ratam non habeat solutionem dotis, & mortua sit ante ratihabitionem, sive emancipata fuerit, sive

non; adversus focerum gener agere non poterit condictione indebiti, imò nec ex stipulatu; licet nominatim stipulatus fuerit gener à focero filiam ratum habituram: quia ut diximus, & in condictione & in stipulatione id tantum continetur, quod interfuit stipulatoris ratum haberi quod gestum est: nihil autem stipulatoris interest, quia mortuâ filiâ dos profectitia redit ad patrem *L. ult. ff. Ratam rem haberi.*

Quomodo verò accipienda sunt ea verba stipulationis ratum haberi, *quam interest?* Nempe ut tantum in hac stipulatione compendium contineant & lucrum, quantum ex re nascitur & provenit, v. g. fructus ex fundo, ex domo pensiones (*le loyer,*) ex grege fœtus & lana, ex ancillis & servis operæ & partus; non autem extraria compendia veniant, quæ vulgò interesse affectionis vocant Interpretes. Vide omnino Cujacium ad *L. 2. ff. Rem ratam haberi ad Papinianum.* De dote verò profectitia & adventitia vide omnino Ulpianum *tit. de Dotibus,* & Cujac. ad *tit. de Rei uxoria actio. in Posthumis Codicis,* in cujus initio observat rectè, patrem in constituenda dote expressa stipulatione cavere sibi posse, ut solus quodocunque soluto matrimonio dotem repetat, non adjuncta persona filia.

Pars ultima tractatus superest, quæ pertinet ad Tutores & Curatores, quos etiam *L. 49. hoc tit.* numerat inter eos, quibus debitor rectè solvunt, quamvis ipsis non debeatur. Sæpiùs etiam supra de illis egimus, & occasione rapta quædam communia inter eos & Procuratores; quædam etiam adnotavimus singularia, cavere non solere tutores vel curatores ratam rem pupillum habiturum, conditionem, quæ in datione pecuniæ versatur, in tutorum persona impleri posse; quæ aliter se habent in procuratoribus: eis solvi, imò & solvere posse, novare, delegare, juramentum deferre, acceptum facere, præcedente tamen novatione: quæ etiam procuratoribus omnium bonorum & cum generali mandato permitti supra probavimus; qui sæpius cum tutoribus & curatoribus in iis articulis comparantur, & iis notis separantur à specialibus procuratoribus *L. 6. ff. de Condict. indeb. L. 17. §. 2. & 3. L. 18. & 19. ff. de Jurejur. L. 20. §. 1. ff. de Novatio. & L. 13. §. Tutor ff. de Acceptilatio.*

Pertinent autem ad hanc postremam partem tractatus nostri *L. 14. §. 1. & seqq. 45. §. 1. 49. 65. 95. §. 10. & seqq. 96. & 100. hoc tit.* in quibus de tutoribus & curatoribus tractatur: quibus adde *L. 28.* in qua de eo qui pro tutore gerit. Ad pupillum verò, quomodo ei solvatur rectè, vel non; & quis sit effectus illius solutionis quæritur in *L. 14. §. ult. 15. 47. 66. & 95. §. 2. & 4.*

Ordinem quem Ulpianus secutus est, observabimus. Et quidem statim in *L. 14.* divisiones tutorum proponit, id est in testamentarios, legitimos, vel ex inquisitione datos, scilicet ab iis magistratibus, quibus à Lege vel aliqua simili Juris parte, & casibus Jure comprehensis tantum, permissum est tutores dare: nam tutoris datio non est jurisdictionis, non competit jure Magistratus, sed ei soli cui Lex nominatim vel similis pars Juris dederit *L. muto §. 2. ff. de Tutelis, toto tit. de Tutorib. & curat. dat. ab his qui jus dandi habent, Instit. de Attiliano tutore & Ulp. in Regulis tit. de Tutelis §. 2. qui & dativi appellari solent L. Dativus ff.*

Rem pupilli salvam fore, ubi à testamentario separantur & à legitimo ex *L. ult. Cod. de Legit. tutela*; quamvis testamentarii appellentur etiam dativi ab Ulpiano in *Regul. d. tit. de Tutelis §. Testamento quoque*: utriusque dativi appellati ad differentiam legitimorum, quos nemo dat, sed ipsa Lex facit tutores absque ministerio testatoris vel Magistratus *L. 5. ff. de Legitimis tutoribus*. Sine inquisitione porro testamentarii dantur à parentibus masculini sexus, etiam emancipatis; dati enim emancipatis omnimodo, id est sine inquisitione confirmantur à Prætorè; quia fides & consilium patris sufficit. Ex inquisitione verò dare solent Magistratus, id est ante dationem & decretum, quo tutores constituuntur, jubent inquiri diligenter in facultates & in mores tutoris futuri §. *Sed hoc jure utimur Instit. de Attiliano Tutore, §. Sed hoc non est perpetuum Inst. de Satisfact. tutor. vel curator.* juncto Theophilo. Idem dicendum de curatoribus; qui ab iisdem etiam Magistratibus dantur, à quibus & tutores §. *Dantur Instit. de Curatoribus*. Vocantur etiam honorarii, quia dantur ab iis, qui honores id est Magistratus gerunt; sicut prætorius tutor dicitur in §. *Si inter Instit. de Auto. tutor. vel cur. §. Moribus apud Ulp. tit. de Tutelis*, qui à Prætorè datur. Et apud eundem *tit. sequenti* curatores honorarii dicuntur, qui à Prætorè constituuntur.

Sive autem de tutela testamentaria, sive de legitima, vel dativa quaeratur, plures simul vel à testatore vel à Magistratibus dari possunt; sicut etiam plures legitimi possunt existere simul, v. g. si plures agnati virilis sexus & ejusdem gradus reperiuntur, *L. 9. ff. de Legitimis tutoribus*. Pluribus autem tutoribus vel curatoribus simul datis oritur 2^a. divisio, ut nempe vel omnes administrarent simul; vel quidam tantum administrarent; alii verò honorarii, alii notitiæ gratiâ dati censeantur: quæ divisio proponitur & explicatur ab Ulp. in *L. 14. hoc tit.* & ab eodem iterum refertur in *L. 3. §. Si parens & seqq. ff. de Administr. tutor.* & ipsa Rubrica satis indicat, *de Administratione & periculo tutor. & curator. qui gesserunt vel non.* Idem Ulp. in *L. 3. §. 4. & 5. ff. Judicatum solvi* attingit eandem divisionem.

Honorarii dicti sunt, qui honoris causâ dantur, nec administrationis onere gravantur *L. 60. Si quis tutor §. 2. ff. de Ritu nupt.* Itaque honorarii dicti, quia administratio eis vel à testatore vel à Prætorè non est commissa, ad differentiam eorum qui administrant. Ad honorarios proximè accedunt, qui notitiæ gratiâ dantur, ad instruendos nempe tutores vel curatores administrantes; quales sunt liberti defuncti, qui noverunt tutiâs familiæ & patrimonii rationes, negotia & supellectilem: quibus tamen propter tenuitatem patrimonii vix permittebatur administratio *L. 1. Cod. de Periculo tut. L. Quæro 32. §. 1. ff. de Testament. tut.* in qua tutor notitiæ tantum causâ datus administrationis & accessionis jure teneri dicitur pupillo, sicut cæteri tutores qui administraverunt. Quare in *L. 14. hoc tit. & in LL. supra citatis* non tantum ad administrantes, sed ad honorarios, vel notitiæ causâ datos etiam periculum tutelæ pertinere dicitur. Idem enim dati intelliguntur, ut sint observatores & custodes actus alieni: cavere debent sedulo, ne malè administraretur tutela, admovere negligentes tutores, instruere & adjuvare consilio assidue, ab administrantibus rationem exigere, suspectos etiam postulare.

Eleganter tamen Paulus *accessionis jure* teneri ait : conveniuntur enim secundo loco, & excussis prius facultatibus illius qui administravit *d. L. 3. §. 2. ff. de Administ. tutorum* : sicut etiam generaliter periculo obnoxii sunt, & in subsidium utili iudicio tutelæ vel curationis tenentur, qui qualibet ex causa gesserunt. Primo enim & principali loco conveniri debent & excuti qui administraverunt *L. 8. Cod. de Tutelæ peric. L. 6. Cod. Arbitrio tutela, L. 1. & 2. Cod. de Dividenda tutela, L. 1. & 2. Cod. Si tutor & curator non gesserit, quibus junge L. 55. ff. de Administ. & periculo Tutorum.*

Utilibus actionibus teneri eos qui non gesserunt, diximus : soli enim directis actionibus tenentur, qui gesserunt, quia tutelæ actio & periculum proximè nascitur ex administratione & gestu *L. 39. §. In eum ff. de Administ. & peric. tutor.* quod ex Constitutionibus Principum inductum fuisse gravibus rationibus contendit Dominus Maranus *Paratitulo de Administ. & peric. tutor.* Jure enim veteri & summo mutuum erat periculum omnium tutorum absque beneficio discussionis : quod tamen beneficium cessat hodie, si communis dolus, vel propria culpa tutoris allegetur *dicto §. In eum.*

Generaliter autem ex *hac nostra L. 14.* si plures sint tutores ejusdem generis vel diversi, non tantum omnibus simul, sed etiam uni & soli pro arbitrio suo rectè solvit debitor : imò & relegato posse solvi dicitur ; quamvis dixerimus Adjecto solutionis gratiâ in contractu post relegationem solvi non posse : tutoris enim, ut sæpius diximus, longè major est potestas quàm Adjecti : est enim vice domini tutor, id est pupilli. Relegatione etiam civitas non amittitur sive ad tempus sive in perpetuum ; & per consequens relegato manent integra omnia jura civitatis, patria potestas, tutela : in ejus tamen locum curator substitui solet *L. 23. §. ult. & L. seq. ff. de Excusat. tut. L. 4. Cod. In quib. causis tutor. hab.* Regula enim Juris notissima est, tutorem habenti tutorem non dari. Postea verò quàm curator in locum delegati substitutus fuerit, amplius relegato solvi non potest. Idemque dicendum de tutoribus abfuturis vel absentibus Reipub. causâ. Curatoribus autem substitutis in locum tutorum, qui & pupilli curatores vocantur in *d. L. 14.* rectè solvitur : aliquando enim tutorem habenti certis casibus curator substituitur, vel etiam adjungitur : aliquando etiam alius tutor datur. Curatores autem illi instar tutorum habentur, in quorum locum dati sunt. Vide omnino Cujacium *Paratitulo Cod. In quib. causis tutor. habe. & junge L. 1. Cod. Quando tutores vel curat. esse desin.*

Imò & tutori capitis reo, pendente iudicio, poterit solvi bona fide, si adhuc in administratione perseveret, id est si necdum interdicta ei fuerit administratio, vel aliquis in ejus locum substitutus non fuerit ; sicut & cuilibet reo postulato rectè solvitur *L. 41. hoc tit.* Excipit tamen nisi suspectus Tutor vel Curator postulatus fuerit : hoc enim ipso & statim à tempore quo accusatus est, pendente causa cognitionis, abstinere debet ab administratione, quæ illi interdicta præsumitur eo momento quo accusatus fuerit, ut rectè in *hac L. 14. §. primo* ; etiam ante interdictionis decretum, quod à Præatore solet hoc casu interpo-

ni, qui & alium in ejus locum substituere solet *L. 10. §. II. ff. de Suspect. tut. §. Si quis suspectus Instit. de Suspect. tut. & Leg. 7. Cod. eodem*, juncta *L. 4. Cod. In quibus causis tutori habenti*. Quare si sciens accusationem suspecti ei solvat debitor, non liberatur: satis enim eum admonere debuit titulus criminis ne solveret tutori, cujus administratio & fides suspecta est.

Non omittendum etiam eos, qui notitiæ vel honoris causâ tutores dantur, periculo teneri non tantum primæ administrationis, sed etiam sequentis, v. g. si ad priora bona pupilli accedant alia post tutelam, puta materna, agnati vel cognati hæreditas: & quamvis ad hujusmodi augmentum dari soleat curator; pertinebit tamen tam ad administrantes quam ad honorarios & notitiæ causâ datos cura & periculum augmenti: ad eos enim omnis utilitas pupillorum pertinet, & unicum patrimonium unius pupilli *L. 9. §. 8. & 9. ff. de Administ. & periculo tutor.*

Verum ut redeamus; uni & soli ex tutoribus sive administrant sive non, rectè solvi potest à debitoribus pupilli, quia nempe ad eos periculum pertinet in communi. Iterum uni & soli ex pluribus, quia quæ in facto consistunt, vel quæ nullam juris solemnitatem requirunt, possunt commodè per unum Tutorem vel Curatorem explicari *L. 7. §. ult. ff. de Curatorib. furioso*. Quæ verò Juris solemnitatem requirunt, quales sunt actus legitimi, mancipatio, optio, aditio, de quibus in *L. Actus legitimi 77. ff. de Regul. jur.* ad ea omnes tutores adhiberi debent, ut observat Cujacius *lib. 17. Observat. cap. 8.* ubi & habere locum in denunciatione solemniter notat ex *L. 2. Cod. Si ex pluribus tutor.* & iterum *lib. 25. Observat. cap. 37.* Notandum tamen honorarios & notitiæ causâ datos, & generaliter qui non administrant, licet eis solvi possit; non posse tamen alienare velolvere; imo nec iis casibus autores esse pupillo *L. 4. ff. de Autorit. tut.* quia eis administratio non est permessa.

Solvi autem diximus posse Tutoribus vel Curatoribus, vel omnibus simul, vel uni, solidum scilicet quod debetur: nec enim partem remittere potest, non donare quocunque colore quæsito, etiam transactionis *L. 46. §. ult. ff. de Administ. & peric. tutor.* licet delegare & novare possit tutor; imò transigere, bona fide scilicet & non in fraudem pupilli, deminuendi ejus patrimonii causâ dicto *§. ult. & L. 56. §. 4. & 5. ff. de Furtis*. Nec possunt conqueri pupilli adversus solutionem Tutoribus vel Curatoribus factam, ut scilicet restituantur adversus debitores, qui eis solverunt: liberantur enim ipso jure, qui Tutoribus vel Curatoribus solverunt sine fraude & dolo *L. 14. §. 1. & L. 49. ff. hoc tit.* Nec adversus debitores beneficium restitutionis pupillis vel minoribus competit *L. 46. §. Tutela, & §. ult. ff. de Administrat. & peric. tut. & L. 3 ait Prator §. 1. ff. de Minoribus*; ex quo debet explicari *L. 1. Cod. Si adversus solutionem minor restituatur*, ut rectè notat Cujacius in *Paratitulo Cod. Si adversus solut.* Nec enim generaliter dicit restitutionem concedi, sed tantum causæ cognitionem diligentem adhibiturum Prætorem, utrùm concedenda sit restitutio vel non: quam denegabit, nisi manifestus dolus debitoris intervenerit.

Quod si solvatur pupillo vel minori, de qua quæstione infra dicemus,

non sufficit autoritas Tutoris vel Curatoris, ut eis rectè solvatur: nec enim aliter plenissima securitate fruuntur debitores, ita ut inquietari non possint amplius per restitutionem in integrum adversus hujusmodi solutionem, nisi præterea sententia judicialis & decretum præcesserit solutionem *L. 25. & 27. Cod. de Administ. Tutor. vel Curator. §. penult. Instit. Quib. alienare licet vel non.* In quo §. licèt solutio videatur ad solos Tutores vel Curatores referri; rectè D. Cujacius in *Posteriorib.* ita explicat, pupilli vel minoris vice, qui præsentés erant, & quibus numerationem faciebat debitor, Tutorem vel Curatorem accepisse pecuniam & autoritatem interposuisse. Non autem intelligendæ sunt illæ duæ *Constitutiones* & dictus §. *penult.* de solutione facta ipsi Tutori vel Curatori, non adhibito pupillo vel minore: quæ rectè fit, nec adversus hujusmodi solutionem restitutio conceditur, ut diximus; quamvis decretum Prætoris non intervenerit: aliter atque senserat ipse Cujacius ad *L. 7. ait Prator §. 1. ff. de Minorib.* Nec obstat *L. 1. Cod. Si adversus solutionem:* nam ut rectè idem Cujacius in illo *paratitulo*, non præcisè promittit Prætor in integrum restitutionem adversus solutionem curatori factam, sed ait cautæ cognitionem adhibiturum, utrùm concedat nec ne; v. g. denegabit restitutionem adversus debitorem qui solvit, nisi debitor consilium fraudis participaverit cum Tutore vel Curatore, ut in casu *L. 46. §. ult. ff. de Administ. & peric. tutor. & L. 96. ff. hoc tit.* quæ est Papiniani, & ex suo ad eum commentario notas posteriores ad dictum §. *penult. Instit. Quib. alienare licet vel non,* Cujacius transcriptit.

Solemnitatem tamen decreti & sententiæ obtinendæ remisit Justinianus in *d. L. 27. Cod. de Administ. Tut.* in rebus, pensionibus & usuris exigendis; dummodo biennium & summam solidorum centum non excedant: sufficit illis casibus, quamvis vel pupillo vel minori solvatur, Tutoris vel Curatoris autoritas. Quæ differentia inter autoritatem & administrationem Tutorum vel Curatorum summè est observanda: licèt enim autoritas pars sit tutelæ, & sub generali nomine gestionis & administrationis contineantur *L. 1. initio & §. 2. & L. 17. ff. de Administ. tutor.* separantur tamen à Jurisconsultis, & separatis titulis distinguitur gestio & administratio ab autoritate, Ulpianus in *Regulis tit. de Tutelis §. 25. & sequenti.* Specialiter intelligitur gestio sive administratio, quoties ipse tutor ex persona sua solus, non adhibito pupillo; vel Curator, non adhibito minore, gerunt & administrant. Autoritas appellatur, quando exhibent pupillum vel minorem, & ipsi præsentés pupilli vel minores gerere & agere intelliguntur; tutor verò vel curator præsens in ipso negotio, vel statim atque peractum est, in continenti, re tota diligenter perpensa, verbis expressis confirmat & comprobatur quod à pupillo agitur; ut in specie dictarum *LL. 25. & 27.* in quibus solutioni factæ pupillo vel minori autoritatem interponit Tutor vel Curator. Vide *L. 1. §. 1. & L. 3. ff. de Autorit. tut.* & Cujacium in *utroque Paratitulo.*

Proponitur exceptio in *d. L. 14. §. 1.* ab Ulpiano non rectè debitorem solvere ei ex tutoribus, cui à Prætoris interdicta sit administratio. Et generaliter in fine ejusdem §. *Nisi interdicta sit:* intellige vel à Præ-

tore, vel à testatore. A Prætorè ex causa, v. g. in specie postulati tutoris suspecti, cui etiam pèndente cognitione debet Prætor administratione interdicerè, ut supra docuimus; vel si apertè prodigus sit vel furiosus, vel ejus bona vanierint *L. 3. §. 3. & L. 53. §. ult. ff. de Administrat. tutor.* Ex qua præterea colligitur ipsum testatorem testamentario tutori quem dedit, interdicerè posse administratione. Itemque specialiter ex pluribus tutoribus quos testamento dedit, ita poterit uni administrationem permittere, ut tamen nihil agere possit, nisi adhibito contutore; alioquin quod gesserit irritum est, ut in eleganti specie *L. 47. ff. de Administrat. Tutor.* quo casu debitores non liberabuntur si solverint, non adhibito contutore secundùm voluntatem patris. Parentibus enim qui liberos habent in potestate, dandi tutoris facultatem plenissimam Lex dedit, juxta eam quam elegerint formam & præscripserint: confirmat quippe omnia quæ pater circa tutelam statuerit; nisi fortè minuantur commoda pupilli: quo casu præcepta & consilia patris circa tutelam Prætor contemnere debet, scilicet ex præsumpta mente ipsius parentis, qui consultum voluit rectè liberis suis, sed deceptus est *L. 3. §. 3. & 4. L. 5. §. 8. & 9. ff. de Administrat. & peric. tut.*

Nec tantùm expressa prohibitio, sed etiam tacita quæ inest & inhæret, quæ continetur actu, per consequentias obstat debitori, quominus solvat: v. g. non tantùm si omnis administratio uni vel pluribus tutoribus pro indiviso permittatur, reliquis ab administratione remotis; sed etiam si pater vel Prætor administrationem inter tutores per certas provincias vel regiones diviserint, v. g. unum rebus Italicis, alterum rebus provincialibus præposuerint: faciliùs enim unus tutor & actiones exercet & excipit, ne per multos tutela spargatur. De hujusmodi divisionibus tractatur in *L. Quæro 100. ff. hoc tit. in L. 15. ff. de Testament. tutela, L. 5. §. 2. ff. de Legitimis tutor. L. 3. 36. 39. §. 5. & 7. 47. §. 2. & ult. & L. 51. ff. de Administrat. tutor. L. 2. Cod. de Periculo Tutor. L. 1. & 2. Cod. Si ex plurib. tutorib. L. 1. & 2. Cod. de Dividenda tutela: quibus ex locis elicimus, quamvis ipso jure tutela & curatio sit indivisa, & individuum sit periculum omnium Tutorum & Curatorum, ita ut singuli in solidum teneantur; ex æquitate tamen & utilitate pupillorum suadente contra Juris summi rigorem Prætores divisiones administrationum à parentibus factas ratas habuisse. Imò & ipsi in datione tutorum dividebant administrationem: & nominatim in *L. 36. ff. de Administrat. tut.* jurisdictioni tribuitur ista divisio, & separatur à mero jure: quod jus Prætoritum postea constitutionibus confirmatum est.*

Effectus verò divisionis hi sunt, ut sive à testatore, sive à Magistratibus, quibus jus est dandi tutores & confirmandi, divisa fuerit administratio; periculum etiam divisum inter tutores intelligatur, nec porrigitur ex una provincia in aliam. Quantum enim facit in totum denegata & interdicta administratio, tantumdem valet, si in ea provincia de qua agitur denegata sit *d. L. 2. Cod. de Periculo tutela, L. 51. ff. de Administrat. tutor.* Nihilominus tamen remanent inter se obligati invicem, suspectos contutores suos opportunè & commodè postulare, id est antequam desierint esse solvendo, & petere.

ut satisfident *L. 2. Cod. de Divid. tut.* alioquin non habita ratione administrationis divisæ, contutor negligens his casibus primo loco in solidum convenitur, nec prius excutietur magistratus municipalis *L. 2. §. ff. de Magistrat. conveniendis, & L. 14. ff. de Administ. tut.* Itemque invicem se admovere debent de rebus & instrumentis, quæ repererint pertinere ad contutorum administrationem *L. 47. §. 2. ff. de Administ. tutor.* & in casibus *§. 3. & 7. L. 39. ff. eodem*: quia nempe culpa ejus, vel etiam dolus & collusio facile præsumeretur, qui non certiore fecit contutorem suum de re ad eum pertinente; vel qui malè & dolosè res pupilli administrantem non accusaverit suspecti: licèt enim divisæ fuerit administratio, non ideo tamen minus invigilare debeat contutorum administrationi: certos enim effectus tantùm, ut diximus, parit hæc divisio, quæ contra jus commune benignè à Prætore est recepta.

Alii præterea sunt effectus, v. g. si agat vel administret tutor extra suam provinciam vel regionem, repellitur exceptione *L. 4. ff. de Administ. tutor.* Debitorum pariter tenentur solvere illi tutori, cui obtingit administratio in ea provincia, ad quam contractus pertinet *L. 47. §. 2. ff. de Administ. tutor.* Ibi: *Si provincialis contractus esset: si pro quia, ut rectè Cujacius ad hunc locum adfirmat & asserit, non dubitat. Apertissimè verò id confirmat L. 100. hoc tit. ex qua duo ediscimus Italicum vel Provinciale contractum intelligi, quoties vel in Provincia vel in Italia contractum est, ratione scilicet loci in quo contractum est: itemque quod si in contractu Italico adjectum est, ut solvatur in Provincia, vel contra in contractu Provinciali, ut solvatur Romæ; ratione loci in quo solvi convenit, ibi etiam contractum intelligitur L. 21. ff. de Oblig. & actio.* quia certam conditionem & formam contractus accepit ex hujusmodi conventionem. Quare debitor & extra locum, in quo contractus habitus est, solvere potest in specie *L. nostra*, non tantùm tutoribus Italicis, quia Romæ solvere promiserat; sed etiam tutoribus Provincialibus, cum quibus scilicet in Provincia contraxerat sub ea conditione, ut eis etiam Romæ solveret. Quod si tutores Provinciales simpliciter Romæ solvi stipulati forent; tunc ad Italicos tutores exactio pertinuisset, qui tamen admonendi fuerunt à provincialibus tutoribus *arg. L. 37. §. 2. ff. de Administ. tutor.* alioquin periculum nominis ad solos tutores provinciales pertinebit propter divisam administrationem.

Quamvis autem divisio administrationis à Prætore vel testatore facta, administrationis faciat modum; non tamen immutat vel imminuit jus creditorum pupilli: nec obligantur ei stare, v. g. tutor rerum Italicarum in Italia, ubi nempe bona pupillus habet, potest conveniri à creditore provinciali pupilli: unius enim pupilli unum est patrimonium, quod in contrahendo spectavit creditor: divisio enim illa administrationis inter contutores propriè locum habet ex utilitate pupilli *L. 47. §. ult. ff. de Administ. & peric. tit.* Similiter si debitor pupilli conveniatur à tutore Italicarum rerum, poterit vicissim tutori Italico compensationem objicere ex contractu in provincia inito *L. 36. ff. de Administ. tut.* quæ & rationem subjicit, quam attigimus: quia divisio tute-

læ contra jus commune ex jurisdictione & jure Prætorio benignè inducta cum sit, inter tutores tantum locum habet, & eos solum effectus parit, quos exposuimus supra: creditoribus verò pupilli atque reliquis inter quos non est acta, qui jure communi nituntur, obesse non potest. Ad id tamen tenentur creditores experiri volentes, ut litem denuntient & insinuent omnibus tutoribus, vel qui sunt in Provincia, vel omnibus qui sunt in Italia *Leg. 2. Cod. Si ex pluribus tutoribus*: quod contra jus commune ex Constitutionibus posterioribus Constantini & posteriorum Principum introductum est; qui solemnes quasdam denuntiationes certis in causis induxerant, de quibus in *Codice Theodosiano* extat tit. de *Denuntiatione vel editione rescripti*. Quamvis autem illæ solemnes denuntiationes sublata fuerint tacitè à Justiniano; nec enim dictas constitutiones ad eas pertinentes in suum *Codicem* retulit: in speciali tamen casu de quo agimus, privatæ testationes, id est denuntiationes factæ privatim, adhibitis tamen testibus, omni præterea solemnitate dempta & insinuatione apud acta, sicut antea, retentæ fuerunt. Si tamen alii Tutores vel Curatores defendere noluerint, ab uno poterit causa defendi. *L. 1. Cod. Si ex pluribus Tutoribus*.

Quæ diximus locum habent tantum, quoties divisio administrationis vel à testatore vel à Magistratu facta fuerit: Tutores enim & Curatores inter se conventionem privata administrationem dividentes mutuum periculum dividere vel finire non possunt. Tamen qui administravit, primo loco convenietur *L. 2. Cod. de Divid. tutela*, Cujacius illo paratulo & paratulo *Cod. Si ex pluribus tutoribus*, junctis *Recitationibus ad utrumque*.

Nec tantum Tutoribus vel Curatoribus rectè solvitur; sed etiam ratione muneris & officii tenentur debitores pupillorum vel minorum interpellare, admonere, convenire, & etiam compellere ad solvendum, etiam distractis pignoribus; itemque debita pupillorum dissolvere, seipso convenire, à seipsis exigere, seipsis solvere, in omnibus bonam fidem agnoscere: nec ad Judicem tenentur provocare: supervacaneæ enim litis honoraria pupillo non imputabuntur *L. 5. §. 5. L. 9. §. 3. 4. 5. 6. 7. & L. 57. ff. de Administ. & peric. tut. L. 18. Cod. eodem, & L. 2. Cod. Arbitrium tutela*: quod pertinet *Lex 95. §. Si mandatu & sequenti hoc tit.* in quibus tutor comparatur cum mandatore. Et quidem in §. *Si mandatu* manifesta est pars utraque comparationis, cujus rei monet nos Papinianus ibi: *Et huc pertinet tutoris & pupilli debitoris nos fecisse comparationem*: In §. verò *sequenti si creditor*, quamvis solius mandatoris mentio fiat, ex præcedenti tamen §. subintelligendum idem de tutore. In §. *Si mandatu* ait esse in potestate creditoris eligere quem velit convenire, mandatorem vel reum principalem; nec altero damnato, v. g. mandatore, imò & ab eo soluta pecunia creditori, debitorem liberari. Integra enim manet adversus debitorem obligatio & actio, & competit creditori etiam post solutionem mandatoris, qui ipso jure non fuit liberatus: si tamen creditor iterum exigat eandem pecuniam à debitore, per exceptionem repellitur.

Eademque ratione consulitur creditori, quoties reus principalis electus, imò & damnatus, propter inopiam vel solidum non solverit, vel
difficilis